B. IV. 23

Flor: 1. gr 10.

CLAUDII DE FERRIERE
U. J. D.

JNSTITUTIONES
JURIS
CANONICI

Nova & singulari Methodo Contextæ,

AD USUM STUDIOSORUM
JURIS

PARISIIS A. MDCCXXXII
EDITÆ

P.P. Eremitt: Camald: Insulae Vigrae

REIMPRESSÆ
VILNÆ
MDCCLXV Typis Basilianis.

REIMPRIMATUR
CAROLUS KARP
Canonicus Cathedr. & Officialis Vilnen.
mpr.

JLLUSTRISSIMO
EXCELL. & REVEREN. DNO
PAULO XAVERIO
COMITI
BRZOSTOWSKI,
SUPREMO NOTARIO M. D. L.
CANONICO CATHEDRALI VILNENSI.

S. N. Monachus Basilianus
S. P. D.

S*i vulgi judicio standum foret, tantum abest,* Jllme Domine, *ut Tibi libellum mole perexiguum nuncupatum irem, ut adferre etiam ad Te vererer. Ea etenim plurimorum est modo opinio; Magnis Viris nisi magna*

vo-

volumina offerri non debere. Sed quoniam mihi res eſt tecum COMES EXCELLENTISSIME, *qui ingenium non oculos adhibes, ut pretium ſtatuas rei ſuum; quique ut loquar cum Poeta:*

Non magna bonum, ſed bona magna putas; *tanto fidentius* Amplifsimum Nomen Tuum *exili huic, quam typis iterum exprimendam ſuſcepi, præpono Opellæ, quanto dignior ejus Auctor viſus fuit, quem in rariorum Bibliothecæ Tuæ librorum cenſum referres, graviſsima ſententiâ Tua omne in hoc genere litterarum tuliſse punctum judicares,*

de-

denique liberalitate Tua publico litteratorum Patriæ nostræ commodo impertires.

Accedit, Te adeo mature veræ laudi operam dare cœpisse, ut Nomen Tuum alienis non indigeat lucubrationibus sed ex Te ipso, scilicet ex tuis, quæ publica luce donasti, litterarum monumentis, satis habeat, quo ad posteritatis memoriam propagetur. Quid enim præstantius opere illo Tuo, quo Hominem Balthasaris Gratiani Omnibꝰ Numeris Absolutum, sive ut is ipse inscripsit, Universalem, Hispanis solis olim Gallisque cognitum, cum Polonia, insigni ejus fru-

fructu, communicasti? Quid immortalitate dignius Theologia Morali, *solida illa atque copiosa, quam cultissimo Patrio sermone vestitam publicis usibus addixisti? Quid gravius illo exili quidem, si molem spectes, sed rebus maximo opusculo, quod* De Officiis Honesti Hominis *nuper nostris Typis vulgasti? Quid dicam de celeberrima Ode, ab eximio e* Scholis Piis *juxta atq; Doctis Poeta,* Georgio Ciapinski, *sub tempus auspicatissimæ Regiæ Coronationis decantata, quam ita terse nitide ac concinne ad Lyricos Patriæ modos numerosq; accomodasti, ut recte de te idem Excel*

cel

cellens Vates ſcriptum reliquerit.
OEnotriis quod Flaccus erat, quod Pindarus Argis, Hoc eſt BRZOSTOVIUS nunc Tibi Sarmatiæ. *Quid etiam proferam de* Hiſtoria Regni Poloniæ *Clar. V. Solignac, quæ operâ Doctisſimorum Virorum, ope vero ac inſigni liberalitate Tua in lucem prodit modo? Sane ſi perges quemadmodum cœpiſti, uti procerto perges, non deerunt demum maxima cum aliorum, tum tuipſius volumina, quæ menſuram Nominis Tui, & de Te conceptam ſpem omnium exæquabunt. In ſolius proinde obſervantiæ in Te, atque publici cultus ſignificationem li-*

liceat mihi vel tanto Tibi litare opuſculo, ſi is quidem ſum, qui imprudens vulgo potius videri malo, quam inofficioſus in te Litterarum Litteratorumque Decus & Præſidium, a prudentibus prædicari. Vale Seculi Noſtri Delicium. Dabam Vilnæ X. Cal. Jan. MDCCLXV.

DE

DE VARIIS CANONICI JURIS COLLECTIONIBUS.

Corpus Juris Canonici ſex Collectionibus conſtat.

Prima collectio Decretum Gratiani vocatur, a nomine Autoris, qui Monachus Benedictini Ordinis fuit, patria Cluſinus, Profeſsus in Bononienſi ſancti Fœlicis Monaſterio.

Ordinatum fuit Decretum Gratiani præſertim ex variis Conciliorum Canonibus, Decretis Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum ſententiis.

Prodiit anno Chriſti 1151. ſedente Romæ Eugenio III. Et quoniam hoc opus privati tantum Doctoris

authoritatem habet, quæ in eo continentur vim & robur ſuum, non a Gratiani collectione, ſed à propriis fontibus mutuantur.

Inſcripſit Gratianus hoc opus, concordantiam diſcordantiumCanonum; quiáCanones inter ſe pugnantes ad concordiam revocat.

Hujus voluminis tres ſunt partes. Prima continet centum diſtinctiones & unam; in illâ parte agitur de Jure ipſo, & de ejus partibus: de perſonis Eccleſiaſticis, & de earum ordinationibus.

Secunda pars continet triginta ſex cauſas, ſeu ſpecies, quarum quælibet in aliquot quæſtiones dividitur. Jlla pars ordinem judiciorum explicat, exceptis decem poſtremis cauſis, in quibus agitur de Sacramento Matrimonii, & de ejus impedimentis, inter quæ erat olim pœnitentia publica: quapropter Tractatus de pœnitentiâ continetur in cauſa 33, qui Tractatus cum eſset longior, ideo in ſeptem diſtinctiones ab interpretibus diviſus eſt. Ter-

Tertia pars eſt de conſecratione; continet quinque diſtinctiones, & præcipuè tractat de conſecrandis Ecclesiis, vaſiſque Eccleſiæ & de Sacramentis Bapſmi, & Euchariſtiæ.

Secunda Canonici Juris collectio continet quinque libros Decretalium Gregorii IX. qui novam Pontificalium Epiſtolarum collectionem ordinavit, operâ Raymundi de Pennaforti, & publica authoritate donavit Anno 1230.

Materia horumce librorum hoc verſu continetur.

Judex, Judicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.

Tertia Canonici Juris collectio Sextus Decretalium nuncupatur, quæ quamvis Gregorianæ inſtar, in quinque libros dividatur, eademque ſit methodo confecta, dicitur tamen ſextus Decretalium liber, quia quinque Gregorianis adjectus eſt veluti appendix & ſupplemētum.

Autorem habet Bonifacium VIII prodiit circa Annum Chriſti 1298.

Continet tam Gregorii IX. Constitutiones nonullas posteriores, quam sequentium Pontificum, ipsiusque Bonifacii VIII.

Quarta collectio Clementinarum nomine circumfertur; quas Clemens V. partim ex Canonibus Concilii Viennensis, partim ex propriis Constitutionibus curavit confici, sed morte prævent9 non publicavit.

Eas fecit Juris publici Joannes XXII. ejus Succesfsor Anno Christi 1317.

Hæc collectio in quinque libros eodem Ordine quo Decretales, & sextus, dividitur.

Quinta Collectio complectitur viginti Constitutiones Joannis XXII titulis quatuordecim comprehensas nulla librorum propter materiæ paucitatē, facta divisione, & dicuntur extravagantes Joannis XXII.

Quo tempore prodierit incertum est; ejus autor obiisse dicitur Anno 1334.

Sexta Collectio extravagantium communium nomen præsefert.

Continet Conſtitutiones diverſorum S. Pontificum, qui vel ante Joannem XXII. vel poſt eum vixerunt.

Jn quinque Libros dividitur: verum quoniam de Matrimonio nulla Conſtitutio extat, ideo quartus liber vacare dicitur.

Conſtitutiones, quæ in his duabus poſterioribus Juris Canonici collectionibus continentur, extravagantes ideo vocantur, quod non publica autoritate, ſed privatorum duntaxat cura, Juris Canonici libris inſertæ ſint.

Cæterum Decretales vim Juris habent apud nos, quatenus Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ & moribus noſtris non adverſantur.

Hæ collectiones non uno, eodemque modo laudantur.

Canones primæ partis Decreti laudantur, prima cujuſque Canonis vocabula citando, adjecto numero Canonis, & diſtinctionis v. g. *Canone multis 5 diſtinctione 2.*

Canones ſecundæ partis Decreti citantur, prima cujuſque *vocabula* referendo, numerumque cauſæ, & quæſtionis v. g. *Canone ſancta* 2. *q.* 7. Hic enim ſubtacetur vox *cauſa*. Nota tamen quod Canones Tractatus de Pœnitentia citentur eodem modo, ac Canones primæ partis, hoc tamen adjecto *de Pœnitentia* v. g. *Can. Petrus* 1. *diſt.* 1. *de Pœnit.*

Canones tertiæ partis laudantur eodem modo, ac primæ partis Canones, hoc tamen adjecto *de Conſecratione* v. g. *Canone non poteſt* 4. *diſt.* 4. *de Conſecratione.*

Decretalium capitula laudantur per primas capituli voces, vel per numerum, cum rubrica ſeu titulo, & adjecta voce *extra*, quæ denotat ea quæ citantur eſse extra Decretum Gratiani, & eſse in Decretalibus v. g. *Capitulo Si quis* 1. *extra de foro competenti.*

Capitula Sexti eodem modo citentur, niſi quod loco vocis *extra* hæc referatur in fine, ſcilicet *in ſexto*

to

to v. g. *capitulo quanquam* 1. *de judiciis, in sexto.*

Eodem etiam modo citantur capitula Clementinarum, ac capitula Decretalium, loco vocis *extra* hoc posito *in Clementinis* v. g. *capit. venit* 2. *in Clementinis de Baptismo.*

Eodem modo laudantur Extravagantes Joannis XXII nisi quod in fine adjiciantur hæ voces *apud Joannem XXII.* vel *in Extravagantibus Joannis XXII.* v. g. *Cap. unico de crimine falsi. apud Joannem XXII* vel *in Extravagantibus Joannis XII.*

Extravagantium Communium capitula eodem modo citantur, ac capitula Extravagantium Joannis XXII nisi quod posteriores voces ita mutentur, nempe *in extravagantibus communibus.*

De Jure Canon. & Ejus Divisione

Jus Canonicum est collectio regu-

gularum, quas Eccleſia ſibi conſtituit, vel ad fidei declarationem, vel ad muniendam diſciplinam.

Canonicum dicitur a Græco CANON quod latine regulam ſignificat.

Dividitur vel ratione materiæ, vel ratione formæ.

Ratione materiæ Jus Canonicum, vel ad fidem pertinet, vel ad mores & Eccleſiaſticam diſciplinam.

Quæ ad fidem ſpectant, vocantur dogmata, quæ verò pertinent ad diſciplinam, Canonum appellatione deſignantur.

Quæ ad fidem pertinent, ab omnibus Eccleſiis debent ſervari, regula enìm fidei una eſt; ſed quæ diſciplinam reſpiciunt, pro varia locorum perſonarum, & temporúm circumſtantia poſsunt immutari.

Ratione formæ; Jus Canonicum dividitur in ſcriptum, & non ſcriptum.

De Jure Scripto.

Juris ſcripti duæ ſunt, ſpecies, ſcilicet, ſacræ Scripturæ & Canones.

Sa-

Sacræ Scripturæ continentur libris veteris & novi Testamenti, quorum librorum numerum, & Autoritatem definierunt Patres Concilii Tridentini.

Canones vero, aut ex Conciliis, aut ex Constitutionibus summorum Pontificum, aut ex Sententiis Sanctorum Patrum collecti sunt.

De Conciliis.

Quod Græce Synodus, hoc latine Concilium est.

Sunt autem Concilia, Ecclesiastica comitia in quibus de rebus fidei & de disciplina tractatur; Concilium enim fidem non definit, sed eam ex Sacra Scriptura declarat, statuit vero circa mores & disciplinam.

Concilia quadruplicis generis distinguuntur, scilicet generalia, seu œcumenica, nationalia, provincialia, & Episcopalia, seu Diœcesana.

Oecumenica, seu generalia sunt ea, quæ ex universis Christiani orbis Provinciis convocantur.

Congregari non debent inconſulto ſummo Pontifice, imo ab ipſo convocari debent.

Nationalia ſunt ea, quæ ex pluribus Provinciis, & Metropolis per Primates convocantur.

Provincialia ſunt ea, quæ collectis ex una Provincia Epiſcopis a Metropolitano congregantur.

Epiſcopalia ſunt quæ a ſingulis Epiſcopis in ſua Diœceſi habentur ex Preſbyteris Parochialibus.

Jlla autem proprie Concilia non ſunt, ſiquidem ad ea plures non conveniunt Epiſcopi, unde Synodi nomen retinuerunt.

Jnter œcumenica & alia Concilia hoc dicrimen eſt, quod particularia ſubditos duntaxat ligent, niſi vel a ſummo Pontifice approbata ſint, vel in corpus juris relata; œcumenica vero Fideles omnes adſtringant; quod quidem certiſsimum eſt, quantum ad dogmata; at quantum ad diſciplinam, ita demum ſi a Regnis & Nationibus admiſsa ſint.

De Constitutionibus summorum Pontificum.

Constitutiones summorum Pontificum, vel generales sunt, vel personales.

Generales sunt quæ omnes tenent.

Personales sunt quæ diriguntur ad certas Personas, & eas tenent quæ in iis continentur, ut simplicia summorum Pontificum Decreta, rescripta quæ in publicas collectiones relata non sunt; adnotationes. & mandata.

De Sententiis Sanctorum Patrum.

Sententiæ Sanctorum Patrum sunt Sanctorum Virorum dicta.

Jn corpus Juris si relata sint; & a summis Pontificibus approbata parem cum cæteris Constitutionibus Pontificiis autoritatem habere non ambigitur.

De

De Jure non Scripto.

Hujus duæ ſunt ſpecies, conſuetudo nimirum & traditio.

Conſuetudo eſt Jus uſu inveteratum, quod lege, vel ratione legis deficiente, pro lege obſervatur.

Ad eam pertinet, 1. Ut ſit legitime præſcripta, puta Jure Canonico ſpatio 40 Annorum 2. Ut non aliter Jus Conſtituat, quam ſi rationi conſentanea ſit.

Traditiones ſunt inſtituta, quæ ore tenus a Chriſto Domino, Apoſtolis, ſanctiſve Patribus, Spiritu Sancto afflante, quaſi per manus tranſmiſsa, ad nos uſque pervenerunt.

Triplicis generis ſunt, divinæ ſcilicet, quas Apoſtoli a Chriſto Domino acceperunt, Apoſtolicæ quæ ab Apoſtolis emanarunt, & Eccleſiaſticæ quæ a Sanctis Patribus, Prælatiſve inchoatæ, tacito populorum conſenſu confirmatæ ſunt.

Di-

Divinæ & Apostolicæ Traditiones ab omnibus admittendæ sunt, Ecclesiasticæ vero ita demum si ab universa Ecclesia receptæ sint, nam si alicujus Ecclesiæ peculiares sint, ibi tantum vim Juris obtinent.

Cœterum consuetudo in hoc potissimum cum Traditione convenit, quod utraque ab initio scripta non sit, in hoc autem consuetudo a Traditione præcipue differt, quod Traditio aliquem autorem habeat, á quo simul ac constituta est, consuetudo vero sensim introducta est, ex tacito tantum populi usu.

LIBER PRIMUS

TITULUS I.

De Jure Personarum.

Tria sunt Juris Canonici objecta scilicet personæ, res, & judicia.

Jure Canonico summa Personarum divisio est, in Laicos & Clericos.

Laïci sunt, qui negotiis sæcularibus vacare posſunt, nec sunt divinis ministeriis mancipati.

Clerici sunt, qui divinis ministeriis per ordinationem ita mancipati sunt, ut negotiis sæcularibus vacare non debeant.

Clericorum alii sunt sæculares, alii regulares.

Sæculares sunt qui in sæculo vivunt nec ulli speciali regulæ sunt addicti. Re-

Regulares sunt qui sub certa, & ab Ecclesia approbata regula vitam in communi agunt.

Clericorum rursus alii sunt in majoribus ordinibus: alii vero in minoribus.

Denique Clericorum alii jurisdictionem habent & dicuntur Prælati: alii jurisdictionem non habent.

Prælati autem, vel majores sunt, vel minores.

Majores, qui apicem Pontificatus tenent, nimirum summus Pontifex, Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi seu Metropolitani, & Episcopi.

Minores, qui Jurisdictionem habent, sed non tenent apicem Pontificatus, ut Archidiaconus, Archipresbyter, & alii.

TITULUS II.

De Summo Pontifice.

Summus Pontifex est Christi Vicarius in terris, Divi Petri successor, Sacerdotum omnium primus, totius Ecclesiæ caput visibi-

le atque unitatis Ecclefiæ fundamentum.

TITULUS III.

De Patriarchis & Primatibus.

Patriarchæ funt quafi Patrum Principes, qui tractui Provinciarum, pluribufque Metropolitanis præfunt, cum ipfi immediate fummo Pontifici fubjecti fint.

Hodie quatuor funt, nimirum Conftantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hyerofolimitanus.

Juris Patriarcharum tria tantum olim erant, nimirum ut Metropolitanos fuæ jurifdictioni fubjectos Ordinarent, convocarent Synodos Patriarchales, & ut de majoribus caufis cognofcerent.

Nunc vero tria alia recenfentur: fcilicet poteftas Pallii fuis Metropolitanis tribuendi, poftquam illud a fummo Pontifice acceperint, jus Crucis ante fe deferendæ, nifi in urbe Roma, vel ubi fummus Pontifex, aut ejus Legatus legationis in-

infigniis utens extiterit; & jus appellationis ex omnibus Provinciis fibi fubditis, falvo jure appellationis ad fummum Pontificem.

Primates Latinis dicuntur, qui Græcis Exarchi, qui fcilicet tractui Provinciarum pluribufque Metropolitanis præfunt, cum ipfi proprio Patriarchæ fint fubjecti.

Jus Primatus hodie ex Privilegiis Sedis Apoftolicæ defcendit, & in folo fere jure appellationis & correctionis confiftere videtur.

TITULUS IV.

De Archiepifcopis & Epifcopis.

Archiepifcopi feu Metropolitani, funt Prælati, qui alicujus Provinciæ Epifcopis præfunt.

Jllorum poteftas in hoc potifsimum confiftit, ut nihil magni momenti iis inconfultis in Provincia geri pofsit, & fpecialiter in ordinatione Epifcoporum fuæ Provinciæ ac in Provincialium Conciliorum convocatione.

E-

Epiſcopi ſunt Prælati, qui ſingulis Dœceſibus præſunt; ſic dicti quia in ſpecula poſiti ſunt, ut in vitam & mores ſubditorum inſpiciant.

Jure divino inſtituti fuerunt Epiſcopi ut Eccleſiam Dei regerent, & a ſimplicibus Sacerdotibus ordine quidem Sacerdotii non differunt; ſed ratione ordinis Epiſcopalis, cujus multa præcipua ſunt, quæ non competunt ſimplici Presbytero; & ratione juriſdictionis, quam Epiſcopus habet in ſubditos.

Poteſtas Epiſcoporum duplex eſt, alia Ordinis, ut eſt Clericorum ordinatio: alia juriſdictionis ſive voluntariæ, ſive contentioſæ, ut eſt jus corrigendi, & excommunicandi, cognoſcendi de cauſis Eccleſiaſticis & beneficia conferendi.

Rurſus jura Epiſcoporum, vel conſiſtunt in dando, vel in accipiendo; illa ſpecialiter dicuntur pertinere ad legem juriſdictionis, hæc vero ad legem Diœceſanam.

Cæterum Epiſcopi in populoſis tan-

tantum civitatibus conſtitui debent.

TITULUS V.

De Poſtulatione.

Prælati promoventur, poſtnlatione, & electione; apud nos vero nominatione Regia: Nam ex Concordatis, *Titulo de Regia ad Prælaturas nominatione*, vacante Cathedrali vel Metropolitana Eccleſia, Rex Chriſtianiſsimus ſummo Pontifici idoneum aliquem nominat, intra ſex menſes á die vacationis computandos, ut per ſedem Apoſtolicam vacanti præficiatur Eccleſiæ. Similiter vacantibus Monaſteriis, & Prioratibus conventualibus & electivis, Religioſum ejuſdem Ordinis Virum intra idem temporis ſpatium nominare debet, cui a ſummo Pontifice de loco vacante provideatur.

Eſt autem poſtulatio, concors capituli petitio, ut is qui propter aliquem defectum, non animi tamen, aut corporis eligi non poteſt, ex di-

dispensatione, causa cognita, promoveatur & assumatur

Extraordinarii Juris est postulatio, fit enim enim eorum, quorum electioni aliquod obstat canonicum impedimentum, non tamen corporis aut animi vitium, sed alius defectus, puta natalium, ætatis, ordinisve.

Quin etiam alicui Ecclesiæ alligatus sine dispensatione ad aliam transire non potest, propter spiritualis Matrimonii vinculum, quod Episcopum inter & Ecclesiam intercedit.

Postulatio nullum tribuit jus postulato; unde non ipsi, sed Superiori decretum postulationis offertur, & possunt postulantes a postulatione recedere, saltem antequam superiori postulationis decretum oblatum fuerit; nam postea ipsis variare non licet, ne superiori videantur illudere.

Admissio postulationis, gratiæ magis est, quam justitiæ; quia sci-

li-

licet dispensationem super aliquo defectu continet; quamvis respectu Ecclesiæ superior ex officii necessitate eam admittere teneatur, si necessitas Ecclesiæ postulet.

Postulatio debet esse concors, vel concordia plena, ita ut omnes in unum consentiant: vel concordia imperfecta, puta cum major & sanior pars capituli in unum consentit. Ut rite peragatur postulatio requiritur. 1. Solemnitas decreti, quod redigatur in scripturam, & postulantium subscriptione muniatur.

2. Ut postulationis Decretum neque diem, neque conditionem adjectam habeat.

3. Ut vocentur ii omnes qui eligendi jus habent, quia postulatio ipsa genus est electionis, sed extra ordinem.

TITULUS VI.

De Electione.

Electio est personæ idoneæ, ad præ-

prælaturam, vel fraternam societatem, canonice facta vocatio.

Dicitur *personæ idoneæ*; minimus enim defectus electionem impedit. Jtaque eligi non posſunt qui defectum patiuntur natalium, corporis ætatis, vel Ordinis, vel auimi, aut alicujus neceſsariæ qualitatis.

Dicitur *ad Prælaturas, vel fraternam ſocietatem*; quia non tantum electio in prælaturis locum habet, ſed etiam in aliis Beneficiis, ſacriſque Sodalitiis ſeu Fraternis ſocietatibus.

Conveniunt electio & poſtulatio 1. Quod neutra diem vel conditionem recipiat, vel vota alternativa.

2. Quod in utraque ſervari debeat forma capituli, *quia propter* 42. extra *de Electione*, & quod ad utramque vocandi ſint omnes, ad quos jus eligendi pertinet.

3. Quod utriuſque decretum debeat in ſcripturam redigi, & muniri omnium ſubſcriptionibus.

Ve-

Verum poſtulatio & electio differunt,

1. Quod poſtulatio ſit perſonæ minus idoneæ, electio verò perſonæ omnino idoneæ.

2. Quia poſtulatio nullum jus tribuat poſtulato; electio vero ſtatim jus tribuit electo, petendæ ſcilicet, confirmationis; quamobrem eligentes, publicato ſemel ſcrutinio, variare non poſſunt.

3. Quia poſtulationis admiſſio, magis eſt gratiæ, quam juſtitiæ; contra verò electionis confirmatio, juſtitiæ; unde non poteſt, niſi ex cauſa denegari.

Ut canonice fiat electio requiritur.

1. Ut debito tempore celebretur, hoc eſt, poſt mortem & ſepulturam Prælati, intra tres menſes, ne ex defectu Paſtoris gregem dominicum lupus rapax invadat: aut in facultatibus ſuis Eccleſia viduata grave diſpendium patiatnr.

2. Ut fiat legitimo modo, & ſerva-

vata forma, capituli *quia propter* 42. extra *de electione.*

Forma electionis in dicto capitulo triplex est constituta, scilicet per scrutinium, per compromissum & per inspirationem.

Per scrutinium fit, cum præsentibus omnibus qui debent, volunt, & possunt interesse, duo, vel tres de capitulo scrutatores assumuntur, qui sigillatim & secretò singulorum vota Suffragia exquirant, & in scripturam redacta mox publicent, ut facta votorum collatione, is statim eligatur, in quem major & sanior pars capituli consenserit.

Jtaque major pars non sufficit, nisi sit etiam sanior. habita scilicet ratione zeli ad zelum, meriti ad meritum; nec etiam sanior pars sufficit, nisi sit quoque major habita ratione ad totum capitulum.

Per compromissum fit, cum uni, aut pluribus, sive sint de gremio Ecclesiæ, sive non, potestas eligendi, a toto capitulo committitur. Quod

si

ſi unus diſsentiat & velit eligere per ſcrutinium, non eſt locus compromiſso; quia nemo invitus & ſine cauſa jure ſuo privari debet.

Jn electione per compromiſsum illud ſpecialiter obtinet, ut poſsit unus e compromiſsariis ſibi ſuffragari, conſentiendo electioni de ſe factæ a parte æquali; tunc enim eligentium numerum utiliter auget, nec videtur ambitioſus, aut vocari a ſe, cum prius ſit vocatus a Deo, atque a ſociis, neque ſe tam ſuo quam capituli nomine eligat.

Per inſpirationem, electio fit, cum nullo præcedente tractatu, quaſi divini ſpiritus impulſu omnes de repente in unum conſentiunt.

3. Denique ad electionem requirritur ut fiat convocatis iis omnibus, qui jus habent eligendi; Prælati autem electio de jure ad capitulum pertinet.

Non tamen omnes canonici poſsunt electioni intereſse, ſed ii tantum qui vocem habent in capitulo.

Hinc non ſunt ad electionem vocandi impuberes, nec ii qui non ſunt in ſacris, nec excommunicati excommunicatione majori; ſed qui minori tantum excommunicatione excommunicati ſunt, poſsunt eligere, licet eligi non poſsint.

TITULUS VII.

De Electi Confirmatione & Conſecratione.

Ubi Electio celebrata eſt, quamprimum fieri licet, electo debet præſentari, ejuſque conſenſus exquiri, quem ille intra menſem præbere tenetur.

A die præſtiti conſenſus tres habet menſes ad petendam confirmationem; ſed ante confirmationem; adminiſtrationi ſe immiſcere non poteſt.

Eſt autem confirmatio, electi & electionis approbatio a ſuperiore facta. Fieri debet cauſa cognita, & prævia inquiſitione tam in perſonam electi, quam in proceſsum electionis,

Electus verò & confirmatus, intra aliud trimestre spatium consecrari debet.

Consecratio est electi & confirmati solemni ritu facta inunctio. Fieri debet a duobus Episcopis præter Metropolitanum, vel alium ejus loco Episcopum; qui benedictionem fundit, unde dicitur consecrator; duo alii assistentes supra caput ordinandi, codicem Evangelii tenentes, manus imponunt.

Confirmatio tribuit ea duntaxat quæ sunt jurisdictionis, ut Præbendas concedere, res Ecclesiæ administrare &c. Consecratio ea tribuit quæ sunt ordinis ut, Clericorum ordinationes, jus velandi sactimoniales, benedicendi Abbates Ecclesiarum & Altarium dedicationes, nec non confectionem Chrismatis.

Porro per electionem initiatur conjugium spirituale, quod est inter Episcopum & Ecclesiam; perficitur per confirmationem, & per consecrationem consummatur.

TITULUS VIII.

De authoritate & usu Pallii.

Præter consecrationem Archiepiscopis opus est Pallio, eo enim tradito, simul & officii plenitudo, cum Archiepiscopalis nominis appellatione confertur.

Est autem Pallium, fascia candida, ex lana potissimum, confecta, Crucibus variis distincta, Archiepiscopi humeros stringens, in modum circuli.

Olim á solo summo Pontifice concedebatur, de corpore, id est de Altari sancti Petri, verum etiam a Patriarchis hodie conceditur.

Metropolitanorum insigne ornamentum est, quod officii pastoralis plenitudinem designat; adeo ut ante Pallium acceptum, nec consecrare Suffraganeos, nec Concilia Provincialia convocare, nec alia quæcumque sunt Ordinis Episcopalis, exercere possint.

Ita personæ ejus, cui conceditur, co-

cohæret, ut non poſsit illud alteri commodare, immo cum mortuo Archiepiſcopo ſepelitur.

Eo uti debet Metropolitanus, ſecundum formam, quæ in Pallii traditione continetur, & plerumque intra Cathedralem Eccleſiam, & certis duntaxat diebus.

TITULUS IX.

De Translatione Episcopi.

Majores Eccleſiæ Prælaturæ amittuntur Translatione, & renuntiatione.

Translatio, eſt Epiſcopi, ab una ſede, ad aliam tranſitus, & migratio. Non tantum Epiſcopi conſecrati fieri poteſt, ſed etiam ejus qui electus & confirmatus eſt, quamvis nondum ſit conſecratus, quoniam per confirmationem Matrimonium ſpirituale contrahitur inter electum, & Eccleſiam.

Hoc vero ſpirituale matrimonium non poteſt ſine authoritate ſummi Pontificis diſsolvi.

Fieri debet translatio juſta ex cauſa, neceſsitate ſcilicet, vel majori Eccleſiæ utilitate exigente.

TITULUS X.

De Renuntiatione.

Renuntiatio eſt dignitatis, beneficii, juriſve alicujus, ſponte, & cum cauſæ cognitione, apud ſuperiorem facta dimiſsio.

Sponte fieri debet: nemo enim facto hominis compelli poteſt, ut beneficium dimittat; ſed jure quis ad renuntiandum cogi poteſt, veluti ſi quis culpa ſua factus ſit irregularis.

Ad eam requiritur Superioris autoritas, quia in publicis cauſis nemo poteſt ſine publica autoritate, juri ſuo renuntiare, beneficia autem Eccleſiaſtica publicam cauſam continent; Superior eſt Prælatus, in Epiſcopis & exemptis eſt S. P.

Sex vero cauſæ ſunt propter quas Epiſcopus poteſt cedendi licentiam poſtulare.

I. Eſt debilitas corporis quæ inhabilem ad officium reddit.

II. Defectus ſcientiæ neceſsariæ.

III. Peccatum quod infamiam ipſo jure irrogat.

IV. Jrregularitas.

V. Malignitas & odium plebis.

VI. Grave ſcandalum.

Jllæ autem cauſæ his verſibns continentur.

Debilis, ignarus, male conſcius irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala, cedere poſſit.

TITULUS XI.

De Officio Vicarii.

Vicarius eſt qui alterius vices gerit, vel in divinis officiis, vel in juriſdictione.

Vicariorum duo ſunt genera; alii enim Epiſcoporum Vicarii ſunt; alii Plebanorum.

Epiſcoporum Vicarii dividuntur in Generales, & Officiales, illi voluntariam juriſdictionem exercent vi-

vice Epiſcopi; hi vero contentioſam.

Vicarii Generalis in ſpiritualibus officium eſt, litteras dimiſsorias, ad Ordines dare, abſente Epiſcopo, item eos qui a patrono ſunt præſentati inſtituere.

Officiales ſunt Clerici, qui vice Epiſcopi contentioſam ejus juriſdictionem exercent.

Paſtorum quoque ſeu Plebanorum Vicarii duplicis ſunt generis; quidam enim ab illorum nutu omnino pendent, & eorum arbitrio conſtitui ac removeri poſsunt; quidam vero dicuntur Vicarii perpetui, qui authoritate Epiſcopi, a Plebanis cum certæ penſionis aſsignatione, conſtituuntur in iis Eccleſiis, quæ Monaſteriis, Dignitatibus, aut Collegiis unitæ ſunt.

Porro de Vicariis perpetuis hoc notandum eſt, quod ubi beneficium adepti fuerint, Vicaria ſua priventur, quoniam perpetua Vicaria beneficium Eccleſiaſticum cenſetur,

qua-

quatenus Vicarius perpetuus non poteſt, niſi ex cauſa amoveri. Præterea portio ejus quæ vocatur congrua, ſine cauſa minui non poteſt.

TITULUS XII.

De Officio & poteſtate Judicis delegati.

Judex delegatus hoc titulo intelligitur is, cui ad certam cauſam juriſdictio mandata eſt.

1 Jure Canonico delegare poſsunt, non tantum ii Judices qui ordinariam juriſdictionem exercent, ſed etiam is, qui a ſummo pontifice delegatus eſt, idque propter dignitatem delegantis, & ut laboribus partium, & expenſis parcatur.

Jn cauſa vero delegata, diſtinguenda ſunt ea, quæ pertinent ad officium delegati, ab iis, quæ pertinent ad ejus poteſtatem.

Officii ſunt, 1. Recipere Reſcriptum, quo delegatio continetur, & ſuæ delegationis fidem facere coram Ordinario.

2. Partes vocare, facta illis copia Reſcripti, & earum juſtas & rationabiles exceptiones admittere; denique formam Reſcripti diligenter ſervare.

Ad poteſtatem delegati pertinet.

1. Cenſuris Eccleſiaſticis, vel alia legitima pœna contumaces coercere.

2. Judicatum exequi, vel ordinario ejus executionem mandare.

Cœterum delegati poteſtas expirat, morte delegantis, vel delegati: revocatione tempeſtiva: diei lapſu ad quem Judex datus eſt: finito negotio, id eſt, ſententia lata & executioni mandata.

TITULUS XIII.

De Officio Legati.

Legati nomine intelligitur, qui juriſdictionis exercendæ cauſa a ſummo Pontifice in Provinciis conſtituuntur.

Jn hoc præſertim differt Legatus à Judice delegato, quod legato cau-

causarum universitas mandatur, Judex vero delegatus ad unam duntaxat causam, vel ad plures sigillatim datur.

Triplicis generis Legati distinguuntur, scilicet Legati á latere, Legati missi, seu Nuntii Apostolici: & Legati nati.

Legati a latere, sunt qui ex numero Cardinalium, cum amplissima potestate, in Provincias mittuntur.

Legati missi, sunt qui ex non numero Cardinalium, sed ex aliorum Ecclesiæ Romæ Prælatorum numero electi, Jurìsdictionis exercendæ causa mittuntur, nec tanta, quanta priores potestate censentur.

Legati nati, sunt Prælati qui Privilegio sedis suæ, legationis sibi vindicant dignitatem, ut Rhemensis Archiepiscopus.

Dicuntur Legati nati, quia non mittuntur; sed vi dignitatis, aut beneficii quod obtinent in sua Provincia, Pontificiis partibꝰ funguntur.

Omnium Legatorum juriſdictio perpetua eſt, nec morte delegantis expirat. Jnter ordinarios reputantur, licet alieno beneficio, nimirum ſummi Pontificis, juriſdictionem exerceant: unde re ipſa, Ordinarii non ſunt, ſed quia ſtatuta condere poſsunt perpetua, aliquid proprium habere videntur, & reputantur inter Ordinarios.

TITULUS XIV.

De Officio Judicis Ordinarii.

Ordinarius Judex eſt, qui jure ſuo non alieno beneficio perpetuam juriſdictionem exercet, ut ſummus Pontifex, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii quicumque, aut jure communi, aut ex conſuetudine, vel Privilegio, juriſdictionem habent.

Sua cuique Ordinario Judici juriſdictio accurate ſervari debet, ita ut regulariter Epiſcoporum ſubditi, coram Archiepiſcopis, & deinceps, judicio ſtare non cogantur, præterquam per appellationem. Or-

Ordinarius liberam criminum coercitionem in ſubditos habet.

TITULUS XV.

De Regularibus & Tranſeuntibus ad Religionem.

Clericorum, ut ſupra diximus, alii ſæculares ſunt, alii regulares, qui etiam dicuntur Religioſi.

Regulares fiunt profeſsione, per quam adſumitur ſtatus tendens ad perfectionē Chriſtianæ Religionis, per tria vota, caſtitatis ſcilicet paupertatis, & obedientiæ.

Definitur autem Profeſsio votum Deo factum, vivendi ſub certa regula ab Eccleſia approbata.

Ad hanc requiritur 1. Liber & plenus conſenſus in profitente.

2. Legitima ætas, olim nimirum ſimplicis pubertatis, niſi regula eſset ſtrictior, quo caſu plena requirebatur; ſed Concilio Tridentino, ſublata & locorum, & ſexus differentia, cautum eſt, ne quis ante deci-

mum ſextum Annum completum, ad profeſsionem admitteretur.

3. Ut Annus probationis profeſsionem præcedat.

4. Ut fiat inter manus Abbatis; alteriuſve Superioris, aut alicujus a Superiore poteſtatem habentis; tacitas enim Profeſsiones Concilium Tridentium reprobavit.

Duo ſunt emiſsæ Profeſsionis effectus; primus eſt ut non liceat ad ſæculum redire; ſecundus vero ut ad alium ordinem converſus, temere tranſire non poſsit.

LIBER SECUNDUS.

TITULUS I.

De Rerum Diviſione.

Summa rerum diviſio, jure Canonico, eſt in ſpirituales, & temporales.

Spirituales ſunt quæ ſpiritui deſerviunt, & animæ cauſa ſunt inſtitutæ, hæ rurſus ſunt vel corporales, vel incorporales.

Corporales ſunt quæ tangi poſſunt, & humanis ſenſibus percipi, ut Sacramenta, res ſacræ, ſanctæ, & religioſæ.

Jncorporales ſunt quæ non ſenſu corporeo, ſed ſolo poſsunt intellectu percipi, ut beneficia, jus patronatꝰ, decimæ, &c.

Temporales ſunt, quæ non tam ſpiritus, quam corporis gratia comparatæ ſunt, nempe ad uſum Sacro-

rum

rum & Sacerdotum, ut prædia Ecclesiaſtica, quæ quoniam ad uſum & ſuſtentationem Miniſtrorum Dei deſtinata ſunt, non, niſi ex cauſa, & adhibitis certis conditionibus, poſsunt alienari.

TITULUS II.

De Sacramentis.

SACRAMENTUM eſt inviſibilis gratiæ viſibile ſignum ad noſtram juſtificationem divinitus inſtitutum.

Septem ſunt Sacramenta novæ legis a Chriſto inſtituta, Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium.

Horum triplex eſt diviſio, Prima eſt ut quædam voluntaria ſint Ordo nempe & Matrimonium; quædam neceſsaria, ut cætera; quorum alia neceſsaria ſunt, neceſsitate præcepti tantum, ut Confirmatio, & Extrema-Unctio, alia vero neceſsaria ſunt neceſsitate ſalutis, ut Baptismus omnibus hominibus, Euchari-

riſtia adultis, & Pœnitentia peccatoribus.

Secunda eſt ut alia ſint vivorum, id eſt eorum, qui ſunt in gratia, ut Confirmatio, Euchariſtia, Extrema-Unctio, Ordo & Matrimonium: alia mortuorum, id eſt eorum qui ſunt in peccato, ut Baptiſmus, & Pœnitentia.

Tertia eſt, ut alia characterem imprimant, nec proinde poſsint iterari. ut Baptiſmus, Confirmatio & Ordo; alia characterem non imprimant, & ita poſsint iterari, ut cætera.

TITULUS III.

De Baptiſmo.

Baptiſmus definitur Sacramentum novæ legis, quo per exteriorem ablutionem corporis, interior animæ, ſignificatur, & efficitur.

Tria ſunt de ſubſtantia hujus Sacramenti, nempe materia, forma, & intentio Miniſtri.

Hujus Sacramenti materia eſt aqua naturalis, elementaris, & ſine

ne mixtura, qualis est aqua maris, fluminis, fontis, aqua pluvia.

Forma his verbis continetur: *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Minister est Episcopus, vel Sacerdos non etiam Diaconus, aliusve Clericus, nisi ubi Sacerdotis copia non est, & urget necessitas; quo casu Laïci etiam Baptisimum conferre possunt, sed nemo seipsum Baptisare potest.

Subjectum est homo natus vivens que sive infans, sive adultus; sive senex.

Præcipuus hujus Sacramenti effectus est, ut deleat peccatum originale, januamque Cœlorum aperiat.

TITULUS IV.

De Confirmatione.

Confirmatio est Sacramentum novæ legis, quo plenitudo Spiritus Sancti confertur, ad fidem constantem coram hominibus profitendam.

Ma-

Materia hujus Sacramenti eſt, Chriſma ex oleo, & balſamo, ab Epiſcopo confectum, per oleum, nitor conſcientiæ; per balſamum, odor bonæ famæ, deſignatur.

Forma continetur his verbis, quæ profert Epiſcopus, cum baptiſatum ſacro Chriſmate inungit in fronte: *Signo te ſigno Crucis, confirmo te oleo ſalutis; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Miniſter eſt ſolus Epiſcopus, ſubjectum eſt homo infantiam egreſsus quia infantes, fidei tuendæ, idonei non ſunt.

TITULUS V.

De Euchariſtia.

Euchariſtia eſt Sacramentum novæ legis, in quo ſub ſpeciebus, panis & vini, verum Chriſti Corpus veruſque ejus ſanguis continetur, & ſumitur. Jllud ergo Sacramentum non tantum gratiam continet, ſed etiam ipſum gratiæ autorem.

Hujus Sacramenti materia eſt panis

nis triticeus azymus, quamvis Græci fermentato utantur in eoque tolerentur. & vinum ex uvis expressum, cui paululum aquæ infunditur. & quamvis Eucharistiæ duplex materia sit, unicum tamen Sacramentum est.

Forma ejusdem Sacramenti continetur, iis verbis, quibus Christus usus est cum illud instituæret, puta: *Hoc est Corpus meum, & hic est Calix Sanguinis mei.*
Minister est solus Sacerdos; idque ex ipsa Christi institutione; Christus enim in ultima Cœna Apostolos suos in Sacerdotes ordinavit; eisque deinde dedit potestatem conficiendi corporis sui, his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem.*

TITULUS VI.

De Pœnitentia.

Pœnitentia est Sacramentum novæ legis, quo eorum, qui post

Ba-

Baptiſmum lapſi ſunt, peccata remittuntur.

Hujus Sacramenti materia, duplex eſt, remota ſcilicet, & proxima.

Materia Pœnitentiæ remota ſunt peccata, ſive mortalia, ſive venialia; ita tamen, ut mortalia ſint materia Pœnitentiæ neceſsaria, quia aliter, quam per Pænitentiam, vel per ejus votum non remittuntur; venialia vero, ſint tantum materia ſufficiens, quia multis aliis modis poſsunt purgari ut eleemoſyna, ejuniis &c. Jn Confeſsione tamen Paſchali, qui ſola venialia admisit, tenetur ea confiteri, non quidem jure divino, ſed jure Eccleſiaſtico, nimirum propter Capitulum: *Omnes utriuſque ſexus. extra, de pœnit, & remiſs.* Ubi fideles omnes qui ad Annos diſcretionis pervenerunt tenentur, ſemel in Anno peccata ſua proprio Sacerdoti confiteri.

Materia Pœnitentiæ proxima, eſt triplex actus Pœnitentis, nempe

cor-

cordis contritio, ſeu dolor de peccato admiſso, cum propoſito amplius non peccandi, oris Confeſsio quæ Sacerdoti fieri debet, & operis ſatisfactio, qui quidem ultimus actus pars Sacramenti integrans eſt non *autem* omnino neceſsaria, quia ejus defectus quandoque non reddit hoc Sacramentum inefficax, ut ſi pœnitens morte præventus Pœnitentiam ſibi injunctam abſolvere non poſsit.

Forma ejus Sacramenti continetur, his verbis: *Ego te abſolvo a peccatis tuis, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.*

Miniſter eſt Sacerdos, qui abſolvendi poteſtatem habet.

TITULUS VII.

De Extrema-Unctione.

Extrema-Unctio, eſt Sacramentum novæ legis, quo per exteriorē corporis partium unctionem, animæ corporiſque robur ac Sanctitas in in-

infirmis, & periclitantibus, procuratur.

Materia eſt oleum ab Epiſcopo benedictum.

Formam conſtituunt verba quibus in ungendis corporis partibus, Miniſter utitur; puta *Per iſtam ſanctam Unctionem, & ſuam piiſsimam miſericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per viſum,* (Et ſic de cæteris corporis partibus) *deliquiſti.*

Hujus Sacramenti Miniſtri ſunt Eccleſiæ Presbyteri.

TITULUS VIII.

De Ordine.

Ordo, eſtSacramentum novæ legis, quo poteſtas ſacra miniſteria obeundi tribuitur ordinato.

Unum autem eſt hoc Sacramentum, quamvis ſint plures Ordines. quia plenitudo hujus Sacramenti, Sacerdotio continetur; alii vero ejus ſunt participatio duntaxat.

Se-

Septem ſunt Ordines, puta Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum, Acolytharum, Subdiaconorum, Diaconorum & Presbyterorum.

Horum alii dicuntur minores, alii vero majores.

Minores, ſunt a quibus redire ad ſæculum permiſsum eſt, puta Oſtiariorum, Lectorum, Exorciſtarum & Acolytharum.

Majores ſeu ſacri, ſunt ii a quibus ad ſæculum redire non licet, nempe Subdiaconorum, Diaconorum & Presbyterorum.

Cujuſque Ordinis materia duplex eſt, manuum ſcilicet impoſitio, & traditio inſtrumentorum, quæ collatum ordinem deſignant.

Formam hujus Sacramenti conſtituunt verba, quibus in eo conferendo, utitur Epiſcopus, ut in Sacerdotio hæc, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia*, &c.

Ordinis Miniſter eſt proprius Epiſcopus.

Ordines Tonſura præcedit, quæ qui-

post 96

pum pertinet aliis vero non competit, niſi ex Privilegio, conſuetudine, vel præſcriptione.

Conferri debent beneficia intra ſex menſes, ab eo tempore, quo illa vacare collatori notum fuit, alias devolutioni locus eſt.

Jnſtitutio, eſt conceſsio beneficii ad præſentationem, ſeu nominationem Patroni: quo ſenſu opponi ſolet collationi liberæ; inſtitutio enim proprie ſumpta, libera non eſt, nec enim poteſt Ordinarius præſentatum a Patrono, niſi indignus ſit, repellere.

Differt inſtitutio a præſentatione, quoniam Patronus præſentat, inſtituit Ordinarius; per præſentationem beneficium non acquiritur, acquiritur vero per inſtitutionem.

Jnſtitui non debent, niſi perſonæ idoneæ.

Nemo ſe ipſum inſtituere poteſt ſicut nemo poteſt ſe ipſum præſētare.

Denique inſtitutio a Laïcis facta non valet.

TITULUS XVI.

De Jure Patronatus.

Jus Patronatus est jus præsentandi Clericum ad Beneficium vacans; in hoc enim potissimum jus Patronatus consistit.

Jllud jus introductum est præter juris communis regulas; ad remunerandam, & provocandam fidelium in Ecclesias, liberalitatem.

Duplex jus Patronatus distinguitur, Ecclesiasticum & Laïcum; Ecclesiasticum est quod ex bonis Ecclesiæ provenit, & competit Clerico ratione beneficii; Laicum vero est quod aliunde provenit; puta ratione sanguinis aut patrimonii, sive Laico competat, sive Clerico; quia non ex persona ejus, cui competit æstimatur; sed ex varia natura bonorum, ex quibus comparatum est.

Addunt interpretes jus Patronatus mixtum, quod corporibus mixtis competit, veluti Academiis, Collegiis &c. Jlla autem corpora mi-

mixta ſibi ex utroque vindicant, quod in alterutro eſt optimum.

Jnter Patronos Eccleſiaſticos, & Laicos id intereſt.

1. Quod Laicis quatuor duntaxat menſes ad præſentandum concedantur, ſex vero Clericis.

2. Quod Patronus Laicus variare poſsit, non item Eccleſiaſticus.

3. Quod Patroni Laici præveniri non poſsint a ſummo Pontifice, vel ab ejus legato; poſsint vero Eccleſiaſtici.

Jn tribus conſiſtit jus Patronatus, ut docent hi verſiculi.

Patrono debetur honos, onus, utilitaſque,
Præſentet, præſit, defendat, alatur egenus.

Honos maxime conſiſtit in jure præſentandi, & in ſedis, ac proceſſionis honore.

Onus in cura, & tuitione Eccleſiæ conſiſtit.

Utilitas vero conſiſtit in eo quod Patrono egenti congrua alimenta

pro modo facultatum Ecclesiæ præstari debeant.

Acquiritur jus Patronatus tribus modis, qui hoc versiculo designantur.

Patronum faciunt, dos, ædificatio fundus.

Acquiritur autem ædificatione, & quidem statim ac ipso jure.

Dotatione acquiritur; quoniam qui dotat Ecclesiam videtur dare esse Ecclesiæ, siquidem Ecclesia sine dote consecrari non potest.

Fundatione acquiritur; quoniam absque beneficio ejus, qui fundum dedit Ecclesiæ ædificandæ causa, nullum esset cæterorum beneficium.

Transfertur jus Patronatus venditione fundi, si reale sit.

Ammittitur vero, si Patronus jus suum Ecclesiæ remiserit; si bona Ecclesiæ usurpaverit; si Clericum ipsius Ecclesiæ per se, aut per alios occidere aut mutilare præsumpserit; vel si venditione aut alio quocumque

que titulo contra Canonicas ſanctiones jus illud acquiſierit.

Cæterum præſcriptione jus Patronatus acquiritur ſimul & amittitur; cum hoc tamen diſcrimine; quod jus in Eccleſia jam Patronata poſsit contra Patronum ſpatio 40 Annorum præſcribi, ſecundum ſententiam quorumdam interpretum; Eccleſia vero libera, non poſsit juri Patronatus fieri obnoxia, niſi multiplicatis præſentationibus per tempus, quod hominum memoriam ſuperet.

TITULUS XVI.

De Cenſibus, Exactionibus, & Procurationibus.

CEnſus eſt penſio Annua debita Epiſcopo in honorem Cathedræ & in ſignum ſubjectionis, nec non quandoque Patrono, ratione juris Patronatus.

Jn ipſa fundatione imponi debet; ſed poſt, nec augeri, nec novus imponi poteſt.

Solvi debet ad antiquam monetam, vel si in usu esse desiit, ad ejus æstimationem

Exactiones sunt extraordinariæ quædam subsidia, quæ Prælatis justa de causa petentibus solvi debent; dico justa de causa, alias essent exactiones indebitæ a quibus Prælati jubentur abstinere.

Procuratio nihil aliud est, quam exhibitio, quæ Prælato a Parochis, propter visitationem debetur.

Dicitur *exhibitio*, ad quam pertinet, ut moderata sit, ut in specie præstetur, id est, in victualibus; Parochi enim eam in pecunia numerata præstare non coguntur.

Dicitur *propter visitationem*, procuratio enim visitationi annexa est; quapropter exigi tantum potest cum sit visitatio, & ab iis, qui visitationis officio personaliter funguntur; debet vero Episcopus semel tantum in Anno Ecclesias suæ Diœcesis visitare, necnon Monasteria.

TI-

TITULUS XVIII.

De Decimis, Primitiis, & Oblationibus.

DEcimæ ſunt fructuum, & cujuslibet honeſti reditus certa portio, quæ in ſignum & recognitionē univerſalis dominii, Deo debetur, miniſtris Eccleſiæ præſtanda.

Dicitur *certa portio*, quæ varia eſt, pro varia locorum conſuetudine; inde tamen decimæ dictæ ſunt, quia regulariter ſunt decima pars frugum.

Dicitur *in recognitionem univerſalis dominii*, unde ipſorum tributorum exactionem præcedunt.

Primitiæ ſunt, primi quique fructus, fœtuſve, qui Deo in gratiarum actionem debentur.

Oblationes ſunt dona, & munera, quæ Chriſtiani Sacerdotibus, pro peccatis ſuis, ad Altare offerunt.

Dividuntur decimæ in prædiales, perſonales & mixtas.

Præ-

Prædiales ſunt ea, quæ ex fructibus prædiorum percipiuntur.

Perſonales ſunt, quæ ex cujusque induſtria & artificio procedunt ut ex venatione, conductione vectigalium; ſed illarum decimarum præſtatio ubique fere exolevit,

Mixtæ ſunt quæ partim ex prædio, partim ex induſtria procedunt, ut quæ ex animalium fœtibus, lana lacte aut molendinis, vel piſcariis debentur. Sed ejuſmodì decimæ eodem jure cenſentur, quo prædiales.

Jnter prædiales & perſonales id diſcriminis intereſt.

1. Quod prædiales debeantur Parocho in cujus Diœceſi prædia ſita ſunt, perſonales vero ſolvantur Eccleſiæ, in qua Sacramenta percipiuntur.

2. Quod illæ præſtentur non deductis inmpenſis, quæ tamen in perſonalibus deducuntur.

A Deo inſtitutæ decimæ, & divina conſtitutione deberi dicuntur, inſpecta ſcilicet origine; at in lege no-

nova obligatio solvendarum decimarum juri tantum Ecclesiastico tribuitur.

Jus illarum percipiendarum spirituale est, quia, propter ministerium spirituale competit, unde a Laicis posſideri, aut præscribi non potest.

Decimas solvere omnes regulariter tenentur, nisi ab iis solvendis speciali Privilegio exempti sint.

LIBER TERTIUS.

TITULUS I.

De Judiciis.

JUDICIUM eſt legitima cauſæ diſceptatio, apud competentem judicem litis finiendæ cauſa.

Judicium conſtat, litigantibus potiſsimum, & Judice.

Circa litigantes præſertim inſpiciendum eſt, ut legitimam perſonam ſtandi in judicio habeant.

Litigantium autē alter eſt Actor, qui ad Judicium provocat, alter vero Reus, qui convenitur.

Judex eſt, qui jure proprio, vel alterius delegatione, juriſdictionem exercet; ille talis eſse debet, qui legibus, aut moribus judex eſse non prohibeatur.

Judicii duæ ſunt præcipuæ partes, initium ſcilicet & finis, initium eſt

li-

litis contestatio, finis vero est sententia Judicis, quæ plerumque Judicii nomine designatur, addi potest & medium causæ, scilicet testium, aliarumque probationum discusiones.

Judicium aliud est Ecclesiasticum aliud sæculere. Ecclesiasticum est quod coram Judice Ecclesiastico agitatur. Sæculare est quod agitatur coram Judice sæculari.

Rursus judicium aliud Possessorium est, aliud petitorium. Possessorium est illud in quo de Possessione, vel quasi Possessione controvertitur. Petitorium est illiud in quo controvertitur de proprietate.

Præterea Judicium, vel est summarinm, vel plenarium, seu ordinarium. Summarium est illud quod fit de plano, non servatis iis omnibus, quæ ad judiciorum formam desiderantur. Plenarium contra est quod fit servatis omnibus quæ ad Judiciorum formam desiderantur.

Denique aliud civile est, aliud cri-

criminale. Civile eſt, in quo agitur de negotio civili, ſeu de re familiari. Criminale eſt, in quo de crimine agitur ratione pœnæ; aliquando enim civiliter duntaxat de crimine agitur.

TITULUS II.

De in Jus vocando ſeu citatione.

Judiciorum civilium præparatoria ſunt in jus vocatio, libelli oblatio, & reconventio, ſeu mutua petitio.

Jn jus vocatio ſeu citatio eſt actus quo quis Judicis mandato aliquem in jus vocat.

Vocari debet Reus ad forum competens, ſive ad Judicem competentem.

Forum eſt locus in quo judicia exercentur; competens autem dicitur in quo Reus tenetur judicium pati; circa quod hæc regula ſervatur, ut Actor forum Rei ſequi debeat.

Sic Clericus, qui adverſus Laicum

cum aliqua actione experiri vult, ea experiri debet apud Judicem sæcularem.

Similiter Clericus, apud Judicem Ecclesiasticum conveniri debet sive a Clerico sive a Laico Actore; in tantum ut Clericus fori Privilegio renuntiare non possit.

Forum sortitur Reus 1. ex loco domicilii. 2. Ex loco contractus. 3. Ex loco ubi sitæ res de quibus agitur. 4. Ex causa delicti.

TITULUS III.

De Libelli Oblatione.

Facta semel in jus vocatione, debet imprimis actor suam intentionem Reo & Judici exponere, vel viva voce, ut in levioribus causis, vel per libellum legitime confectum ne scilicet Actori variare liceat, aut Reus dubitare possit, ad quid sit respondendum.

Est autem libellus, breve quoddam scriptum, rem quæ petitur, causam petendi, Judicis, Actoris
&

& Rei nomen continens, & prætererea Actoris ſubſcriptione munitum. Si tamen quid per errorem prætermiſsum fuerit, poterit ante litis conteſtationem emendari.

Libello tenetur Reus reſpondere, intra certum tempus, quod vulgo, viginti dierum eſt, per quod deliberet, an contendere, an Judicem admittere; aut recuſare debeat.

TITULUS IV.

De Mutuis Petionibus.

Evenit aliquando ut Actor dato libello mutua petitione conveniatur, quo caſu debet apud eumdem Judicem reſpondere, licet alias competens non ſit.

Eſt autem mutua petitio, reconventio, quæ coram eodem Judice, contra Actorem fit, debetque ſimul cum cauſa conventionis, uno eodemque judicio terminari.

TI-

TITULUS V.

De Litis Conteſtatione.

Abſolutis judicii præparatoriis, ſequitur ipſius judicii principium & fundamentum, quod eſt litis conteſtatio.

Jlla definitur litis declaratio, apud Judicem facta, petitione ab Actore propoſita, & allegata a Reo exceptione, ſuper quibus aliqua pronuntiatio Judicis intervenit.

Præcipui hujus effectus ſunt 1. ex parte Judicis, ut juriſdictionem ipſi demandatam perpetuet, & ut in præjudicium unius litigantis nihil innovari queat.

2. Ex parte Actoris, ut libellum mutare non poſsit, ut rem litigioſam faciat, interrumpatque uſucapionem.

3. Ex parte Rei, ut Poſseſsorem in mala fide conſtituat.

4. Ut novationem inducat, & ab ea Judicium incipiat.

TI-

TITULUS VI.

De Probationibus.

Lite semel conteſtata, Judicis inſtruendi cauſa, probationes hinc inde admittendæ ſunt.

Probationes ſunt argumenta, quibus veri fides conſtare poteſt; cujuſmodi ſunt teſtes, inſtrumenta, fama, aliaque adminicula.

Horum non eſt eadem ratio; teſtes enim & inſtrumenta plenam fidem faciunt. fama vero per ſe ſola poteſt quidem aliquando movere Judicem, ſed plenam probationem non facit.

Cœterum ei incumbit onus probandi qui dicit, non ei qui negat, factum enim negantis, per rerum naturam probatio non eſt.

TITULUS VII.

De Teſtibus & Atteſtationibus.

Teſtes ſunt perſonæ, quæ negotiis alienis, fidei faciendæ cauſa in-

interſunt; atteſtationes vero, ſunt ipſa teſtium teſtimonia, ſeu dicta.

Circa teſtes hæc potiſsimum obſervanda ſunt, 1. Ut injuratis teſtibus non credatur.

2. Ut quoties numerus teſtium lege definitus non eſt, duo ſufficiant & deſiderentur.

3. Ut ii omes ad teſtimonium dicendum admittantur, qui dicere non ſunt prohibiti, ut impuberes, criminoſi, mulieres, & Laici adverſus Clericos in cauſa criminali, quando criminaliter agitur.

TITULUS VIII.

De Fide Inſtrumentorum.

Inſtrumenta ſunt tabulæ ſive ſcripturæ, quæ rei, de qua agitur, fidem faciunt.

Inſtrumentorum, alia ſunt privata, quæ a privatis conficiuntur, ut Chyrographus, alia publica quæ a Tabellione fiunt.

Privata non alias fidem faciunt, quam ſi ea Author ipſe agnoverit, a-

ut

ut comparatione litterarum, appareat cujus ſint.

Publìca certam fidem faciunt, non ſolum authentica, ſeu originalia, ſed etiam exempla, & deſcripta, modo publica manu, & juſsu Judicis conſcripta fuerint.

TITULUS IX.

De Jurejurando.

DEficientibus plenis probationibus defertur quandoque Jusjurandum.

Definitur Jusjurandum invocatio divini numinis, qua petimus, ut ſit teſtis noſtræ aſservationis, fallentesque puniat; vel diei poteſt affirmatio religioſa fidei faciendæ cauſa, quæ ſit ſub atteſtatione divini numinis, vel ſub devotione ſui.

Ut licitum ſit, tres comites habere debet, nempe veritatem, hoc eſt conſcientiæ teſtimonium: Judicium, id eſt diſcretionem, ac deli-

be-

berationem, ne temerarium ſi: & juſtitiam, ut quod juratur juſtum ſit & licitum.

Jusjurandum, aliud promiſsorium eſt, quod alicujus conventionis confirmandæ cauſa adjicitur; aliud asſertorium, quo rei præſentis, vel præteritæ veritas confirmatur; cum autem, litis finiendæ cauſa, interponitur, vocatur deciſorium.

TITULUS X.

De Præſumptionibus.

PRæſumptiones quandoque animum Judicis movent, etiam deficientibus probationibus; certe præſumptio rejicit onus probandi in eum contra quem facit.

Sunt autem præſumptiones conjecturæ, quæ ex ipſo facto, ejusque circumſtantiis deducuntur.

Quatuor ſunt præſumptionum ſpecies, temerariæ ſcilicet, probabiles, violentæ & neceſsariæ.

Temerariæ ſunt, quæ ex levibus cauſis proficiſcuntur; veluti geſtatio

tio annuli, ex qua quis Matrimonium probare vellet; tales autem animum Judicis movere non debent.

Probabiles ſunt, quæ ex veriſimili argumento deducuntur, veluti ut quod remotioribus notum eſt, a vicinis non ignoretur; hujuſmodi præſumptio habetur pro veritate, niſi contrarium probetur.

Violentæ quæ & præſumptiones Juris dicuntur, ſunt eæ, quæ ex pluribus indiciis, aut uno plurimum efficaci conflatæ ſunt, qualis fuit præſumptio Salomonis veram Matrem ex ſincero affectu dijudicantis; & adverſus eam vix admittitur probatio.

Neceſsaria præſumptio quæ vulgo dicitur præſumptio Juris & de Jure, eſt diſpoſitio legis aliquid ſuper præſumpto, quaſi ſibi cognito ſtatuentis: ſic ſponſalia de futuro præſumuntur tranſiiſse in ſponſalia de præſenti, ſi copula intervenerit.

TI-

TITULUS XI.

De Exceptionibus.

Exceptio eſt actionis excluſio, exceptionum præcipua diviſio fit in perpetuas, & temporales.

Perpetuæ ſeu peremptoriæ, ſunt quæ ſemper agentibus obſtant, & Actoris inteſtionem excludunt, ut exceptio rei judicatæ, doli mali, vis, vel metus, & ſimiles.

Temporales ſeu dilatoriæ ſunt quæ ad tempus duntaxat nocent, & Actoris intentionem non perimunt, ut exceptio fori, excommunicationis, & ſimiles.

Perpetuæ exceptiones objici poſſunt etiam poſt litem conteſtatam; dilatoriæ vero ante litem conteſtatam in ipſo litis ingreſsu regulariter opponendæ ſunt.

Cæterum ſicut onus probandæ actionis Actori imcumbit, ita etiam onus probandæ exceptionis incumbit Reo.

TITULUS XIII.
De Sententia & Re Judicata.

Sententia & res judicata differunt, tanquam causa & effectus: Sententia enim rem judicatam facit, videlicet postquam appellandi tempus elapsum est.

Sententia est decretum Judicis ad litis ordinationem, vel ad ejus decisionem latum.

Duplex distinguitur, interlocutoria, scilicet & definitiva.

Jnterlocutoria est decretum Judicis, quod inter principium & finem litis fertur ad ejus ordinationē, & præparationem tantum, veluti cum Judex concedit, vel denegat dilationes ad testes examinandos, vel exhibenda instrumenta.

Definitiva est decretum a Judice interpositum de summa, vel capitulo litis, absolutionem vel condemnationem certam Actoris, aut Rei continens.

Porro ut Sententia rite feratur, quædam desiderantur. 1. Ut

1. Ut in loco majorum, congruo tempore, & non die feriato, per ipſum Judicem recitetur.

2. Ut certa ſit, libelloque conformis, & ut ſecundum allegata & probata, ſervato Juris Ordine, proferatur.

3. Ut nihil contineat quod contra leges ſacroſve Canones ſit; etenim ſententia lata contra leges, ſacroſve Canones, ipſo Jure nulla eſt; non item ſi contra jus litigantium lata ſit, tunc enim ipſo jure valet & ad eam reſcindendam, appellationis remedio opus eſt.

TITULUS XIV.

De Appellationibus.

Appellatio eſt Sententia Judicis inferioris ad Superiorem facta provocatio, ratione gravaminis illati vel inferendi.

Ab omni ſententia appellare licet, ita ut non tantum a Sententia definitiva Jure Canonico appellare liceat, verum etiam ante, puta ab

ab interlocutoria, imo ante litis ingressum appellare licet, a quocumque gravamine illato; vel inferendo.

Non admittitur tamen appellatio a Sententia correctionis, quoniam a Sententia correctionis appellare, ab ipsa regula appellare est.

Ab omnibus Judicibus appellare permittitur: fitque appellatio á sententia inferioris Judicis ad superiorem gradatim, id est non omisso medio.

Bis tantum in qualibet causa appellare permittitur.

Appellationis interponendæ causa decem dies dantur; semel autem interposita appellatio intra annum, aut si per Judicem, vel casum majorem trahatur; intra biduum peragenda est.

Duplex est appellationis effectus; primus, ut suspendat executionem sententiæ; secundus est, ut devolvat causæ cognitionem ab inferiori Judice ad superiorem.

LI-

quidem ex Ordinum numero non eſt, ſed præparatio ad Ordines duntaxat.

TITULUS IX.

De Matrimonio.

Matrimonium præcedunt ſponſalia. 1. Ut ſponſi ſuos invicem mores probare poſsint, & ne vilem habeat ſponſus datam, quam non diu ſuſpiraverit dilatam. 2. Ut præparentur interim ea, quæ ad Matrimonium neceſsaria ſunt.

Quin & præmitti debet Matrimonio trium bannorum publicatio, ut ſi aliquod ſubſit Matrimonio impedimentum, detegatur.

Sunt autem ſponſalia mentio & repromiſsio futurarum nuptiarum.

Duplicis generis Jure Canonico diſtinguntur, ſponſalia ſcilicet de præſenti, & ſponſalia de futuro.

Sponſalia de præſenti ſunt ea, quæ per verba de præſenti contrahuntur, ut, *Ego accipio te in uxorem, ego accipio te in virum.*

Sponſalia de futuro ſunt ea, quæ per verba de futuro contrahuntur, puta, *Ego te accipiam in uxorem*, & vice verſa.

Sponſalia de præſenti, quantum ad fœdus, & vinculum, a Matrimonio rato duntaxat, non diſtinguntur, adeo ut, licet ſponſalia de futuro ſolvantur, per ſponſalia de præſenti; illa tamen, licet copula ſecuta non ſit, non dirimantur per poſterius Matrimonium, etiam conſummatum; unde ſponſalia illa differunt a Matrimonio ſola Sacerdotis benedictione: ſed prohibita ſunt Concilio Tridentino, & apud nos Bleſenſi Conſtitutione.

Sponſaliorum de futuro duo ſunt præcipui effectus.

Primus eſt, ut inducant obligationem contrahendarum nuptiarum quod tamen ita intelligendum eſt, ut, ſi fieri poſsit, ex nolentibus volentes fiant; alias ſummo jure compellendi non ſunt.

Secundus eſt, ut pariant juſtitiam

am publicæ honeſtatis, cujus ratione, qui cum aliqua muliere ſponſalia contraxit, ejus conſanguineam ducere prohibetur, & vice verſa.

Matrimonium conſiderari poteſt, vel quatenus eſt contractus, vel quatenus eſt Sacrameutum.

Quatenus eſt contractus, definitur viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.

Quatenus conſideratur ut Sacramentum, definiri poteſt, Sacramentum novæ legis, quo vir & mulier liberorum procreandorum cauſa, perpetuam vitæ ſocietatem ineunt.

Dicitur *Sacramentum novæ legis;* fuit enim inſtitutum a Chriſto; Matrimonium tamen a Deo inſtitutum eſt in Paradiſo terreſtri, his verbis quæ primus parens ſuggerente ſpiritu ſancto protulit, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, propter quod relinquet homo patrem & Matrem & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una.* Sed Chri-

ftus eadem verba repetens. Matrimonium evexit ad dignitatem Sacramenti, quod gratiam conjugatis confert.

Materia hujus Sacramenti funt perfonæ contrahentes, vel ipfarum confenfus.

Forma funt verba confenfum exprimentia.

Minifter vero alius non eft quam ipfi conjuges, quia verba, quibus hujus Sacramenti forma conftat, ipfi proferunt, miniftri autem eft, verba, quibus Sacramenti cujufque forma conftat, pronuntiare & per ea Sacramentum conficere.

Matrimonium triplex diftinguitur, aliud dicitur legitimum & non ratum: aliud ratum & non legitimum: aliud denique legitimum & ratum fimul.

Legitimum & non ratum, eft quod ab infidelibus, juxta eorum leges & mores, contractum eft.

Ratum & non legitimum, eft quod inter Fideles feu Chriftianos, folo con-

confenfu, fed omifsis folemnitatibus, contractum eft.

Legitimum & ratum fimul eft quod a Fidelibus, fecundum regulas & juris folemnitates, celebratum eft; ratum quidem dicitur, quia firmum illud & ratum habet Ecclefia: legitimum vero, quoniam juris folemnia adhibita funt.

Ad Matrimonium contrahendum debent mafculi efse puberes: fœminæ autem viri potentes; fed fponfalia effici pofsunt, modo qui ea contrahunt minores non fint feptennio. Præterea celebrari debet Matrimonium a proprio Parocho, præmifsis inter mifsarum folemnia trium bannorum, ut ajunt, publicationibus. Deinde fi nullum opponatur impedimentum, ad celebritatem Matrimonii procedi poteft a Parocho.

Edictum de Matrimonio contrahendo, eft prohibitorium, proinde ab omnibus qui fpecialiter prohibiti non funt, contrahi poteft.

Jmpedimentorum autem. Cano-

nicorum duo ſunt genera; alia & contrahendum Matrimonium impediunt, &contractum dirimunt: idcirco impedimenta dirimentia nuncupantur; alia vero dicuntur prohibentia: quæ contrahendo quidem Matrimonio obſtant, ſed contractum non dirimunt.

TITULUS X.

De Dirimentibus impedimentis Matrimonii.

Impedimenta dirimentia quatuordecim enumerantur; ex quibus duodecim priores ſunt Juris veteris, quibus duo addidit Synodus Tridentina; & omnia illa impedimenta verſibus ſequentibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Si ſis Affinis, ſi forte coire nequibis:
Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.

Si

Si Parochi & duplicis desit præsentia testis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Error, circa personam ipsam, ab initio efficit Matrimonium nullum, quia consensu perficitur, sed non consentiunt qui errant; similiter error circa conditionem servilē, seu statum personæ, vitiat Matrimonium.

Error autem non obest, si versetur circa qualitatem personæ vel aliud quidpiam, veluti, quod mulier sit nobilis vel dives,

Conditio adjecta Matrimonio ipsummet vitiat, si nempe substantiam Matrimonii impugnet, veluti, contraho tecum, si generationem prolis evites; vel donec inveniam aliam honore, facultatibusve digniorem.

Votum, impedit etiam Matrimonium & dirimit, si sit solemne.

Solemne autem votum est, quod fit sacrorum Ordinum susceptione, vel professione vitæ regularis.

Cognatio definitur JureCanonico, sanguinis, vel familiæ, aut Sacramenti vinculum. Et hoc Jure triplex distinguitur, naturalis scilicet, quæ consanguinitas appellatur, civilis, seu legalis, & spiritualis.

Naturalis, seu consanguinitas, ab interpretibus Juris Canonici definitur vinculum sanguinis, ex quacumque carnali propagatione proveniens.

Legalis est vinculum familiæ, quæ ex adoptione oritur, inter eos qui per adoptionem sibi invicem agnoscuntur. Jlla autem cognatio dissoluta adoptione extinguitur.

Spiritualis est necessitudo personarum ex Baptismo, vel ex Confirmatione, aut ex Cathechismo proveniens.

Hodie ex Concilio Tridentino, cognatio spiritualis non contrahitur nisi inter baptisantē & baptisatum. ejusque patrem & matrē: sicut inter suscipientem & susceptum, ejusque patrem & matrem.

Quæ

Quæ autem ex Confirmatione oritur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egreditur.

Tridentina etiam Synodo fublata fuit cognatio fpiritualis, quæ ex Catechifmo olim oriebatur.

Ratione naturalis cognationis, nuptiæ in infinitum prohibentur in linea recta, & in collaterali, inter eos qui fpeciem parentum & liberorum referunt; at inter cæteros collaterales nuptiæ in quarto duntaxat gradu, jure Canonico reprobantur.

Eft autem linea, feries cognatorum, quæ duplex diftinguitur, recta fcilicet & collateralis.

Recta eft ordo, feu feries parentum & liberorum, feu eorum quorum unus ab alio defcendit.

Collateralis vero, eft ordo feu feries eorum, quorum neuter ab alio defcendit, fed uterque a communi ftipite.

Gradus eft diftantia cognati ab

altero, quæ ex ordine cognationum ſpectatur.

Jure civili gradus in utraque linea computantur ex numero perſonarum genitarum, adeo ut quælibet perſona genita unum gradum adjiciat.

Jure Canonico gradus computantur in linea recta eodem modo, ac jure Civili; imo & olim etiam in linea collaterali: ſed circa tempora S. Gregorii receptum eſt, ut duæ perſonæ genitæ in linea collaterali unum tantum gradum efficerent.

Hac nova computandi ratione recepta, duæ ab interpretibus regulæ inductæ ſunt.

Prima eſt, ut quoties collaterales æqualiter diſtant a communi ſtipite, eodẽ inter ſe gradu diſtẽt, quo alter eorum diſtat a communi ſtipite.

Secuuda eſt, ut quoties inæqualiter diſtant a communi ſtipite, remotior trahat ad ſe proximiorem: & tot inter ſe gradibus diſtent, quot remotior diſtat a communi ſtipite.

Cri-

Crimen, nimirum adulterii, & machinationis adversus vitam legitimi conjugis.

Cultus disparitas, id est, Religionis diversitas, quæ nuptiis obstat.

Vis, Matrimonium ab initio nullum reddit, quando nimirum talis est, ut voluntatem omnino excludat: idem dicendum est do metu qui cadit in constantem virum.

Ordo, Presbyteratus nimirum, Diaconatus, & Subdiaconatus.

Ligamen, id est vinculum prioris Matrimonii; nam plures simul habere uxores non licet.

Honestas, est enim publicæ honestatis justitia, cujus ratione qui cum aliqua muliere sponsalia contraxit, ejus consanguineam ducere prohibetur, & vice versa.

Si sis affinis, affinitas definitur ab interpretibus Juris Canonici attinentia personarum,, ex carnis copula proveniens, omni carens parentela; illa autem si Matrimonium præcedat, illud impedit & dirimit.

Si forte coire nequibis, nam impotentia coeundi, quæ Matrimonium præcedit, si emendari non possit, matrimonium ab initio nullum reddit, quoniam procreandæ sobolis causa matrimonium comparatum est atque inter eos contrahi tantum potest. qui possunt fieri una caro.

Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto; raptus enim, seu violenta mulieris Matrimonii causa abductio, connubium adimit inter raptorem & raptam, usquequo loco tuto restituta in eum consenserit.

Si Parochi & duplicis desit præsentia testis; Concilium enim Tridentinum eos qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius licentia, & duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentaverint, ad id contrahendum reddit inhabiles & hujusmodi contractus irritos, nullosque esse decrevit.

Verum Blesensis Constitutio præter Parochum, quatuor probatæ fidei

dei teftes defiderat, atque ut teftimonia in regiftro Parochi infcribantur.

TITULUS XI.

De impedimentis Matrimonii prohibentibus.

IMpedimenta Matrimonii prohibentia tantum, his verfibus referuntur.

Inceftus; raptus, fponfalia, mors muliebris,
Sufceptus propriæ fobolis, mors Presbyteralis,
Vel fi pœniteat folemniter, aut monialem
Prudens accipiat, votum fimplex Cathechifmus,
Ecclefiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Inceftus; qui enim confanguineam fuam aut affinem cognovit, perpetua folitudine damnatur, fed ab ea quæ uxor ejus antea fuit, non feparatur. *Ra-*

Raptus alienæ ſcilicet ſponſæ, quia raptor futuro Matrimonio injuriam facit, illudque tentavit impedire.

Sponſalia, nimirum de futuro cum alia prius contracta.

Mors muliebris, qui enim uxorem occidit, cum alia Matrimonium contrahere prohibetur, contractum tamen retinet, excepta ea cujus intuitu uxorem occidit.

Suſceptus propriæ ſobolis, id eſt: propriæ ſobolis, Matrimonii diſsolvendi cauſa, de ſacro fonte ſuſceptio.

Mors Presbyteralis; cædes enim Presbyteri impedit quidem Matrimonium contrahi, ſed contractum non dirimit.

Vel ſi pœniteat ſolemniter; publica enim pœnitentia Matrimonii impedimentum eſt, ſi non dirimens, ſaltem impediens.

Aut monialem prudens accipiat, qui Matrimonium ſcienter cum ſanctimoniali contraxit, nunquam ei

con-

conceditur conjugali vinculo religari; illud tamen impedimentum Matrimonii, impediens est tantum, non vero dirimens.

Votum simplex; illud enim Matrimonio contrahendo obstat, sed contractum non dissolvit.

Cathechismus, spiritualis cognatio oriebatur ex Cathechismo, seu instructione baptisandorum, quæ proinde aliquid sacramentale est; illaque cognatio impediebat Matrimonium contrahi, contractum vero non dirimebat: sed ex Concilio Tridentino hoc impedimentum sublatum est.

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum: interdictum Ecclesiæ vel speciale est, vel generale.

Speciale, est sententia Judicis Ecclesiastici, quæ pendente lite super causa Matrimonii, prohibet Matrimonium contrahi, sed contractum non dirimit.

Generale est constitutio Ecclesiæ qua generaliter prohibetur, ne per cer-

certa tempora, quæ pœnitentiæ potissimum, & orationi destinata sunt, Matrimonia contrahantur.

Hæc prohibitio non tam respicit Matrimonium ipsum, quod consensu perficitur, quam ejus solemnitatem & consummationem.

Jlla autem prohibitio definita est Concilio Tridentino ab initio Adventus ad diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum, ad octavam Paschatis inclusive.

TITULUS XII.

Qui Filii sint legitimi.

Filii legitimi, vel sunt legitimi tantum, qui per adoptionem fiunt: vel naturales & legitimi simul, qui nimirum ex justo & legitimo Matrimonio nati sunt.

Jtem, ii qui nati sunt ex Matrimonio Jnfidelium contracto in gradibus Jure tantum Canonico prohibitis, quo casu, licet conjuges ad fidem Christianam conversi sint, & Matrimonium valet, & liberi justi ac legitimi habentur: Præ-

Præterea ii qui nati ſunt ex Matrimonio illicito, ſed bona fide, & in conſpectu Eccleſiæ contracto; bona autem fides, etiam unius duntaxat parentis; ad confirmandum ſtatum liberorum ſufficit.

Legitimi vero fiunt Jure Canonico, qui ex illicita conjunctione nati poſtea legitimantur, vel per reſcriptum ſummi Pontificis, vel per Matrimonium ſubſequens, etiam abſque dotalibus inſtrumentis contractum.

Legitimationis quæ fit per reſcriptum ſummi Pontificis, tres ſpecies diſtinguuntur, pleniſsima nimirum, plena & ſimplex.

Pleniſsima, eſt ea qua S. P. purgata Matrimonii radice, tollit impedimentum quod Matrimonio obſtabat, ut cum Matrimonium intra gradus prohibitos contractum ſpeciali reſcripto comprobat.

Plena eſt qua S. P. non purgata radice Matrimonii aliquem natalib9 reſtituit, eumque facit capacem eorum quæ illegitimis interdicta

ſunt,

ſunt, quantum ad ſpiritualia.

Simplex, eſt quia S. P. nec Matrimonii radicem purgat, nec natalium reſtitutionem concedit, ſed qua idoneum duntaxat aliquem facit ad aliquos actus, qui illegitimis interdicuntur; ut ad Ordines & Beneficia quæ quidem diſpenſatio potius quam legitimatio dici debet.

TITULUS XIII.

De Divortiis.

Divortium eſt legitima conjugum ſeparatio, non privato cujuſq; arbitrio, ſed judicio Eccleſiæ facta.

Duplicis generis diſtinguitur; alterum quo ad thorum & menſam: alterum quoad fœdus & vinculum; illud ſolam vitæ conſuetudinem, hoc vero ipſum Matrimonii fœdus diſsolvit.

*D*ivortium quoad thorum & menſam Jure Canonico admittitur pluribus de cauſis; puta ob fornicationem, (ſive corporalis illa ſit, ſive ſpiritualis) ob ſtructas conjugi inſi-

di-

dias: ob intolerabilem alterius fævitiam &c.

Divortium quoad vinculum non admittitur Jure Canonico, nisi duobus casibus.

Primus est, si Matrimonium sit ratum tantum, & non consummatum, & alter conjugum, melioris vitæ desiderio accensus, vitam regularem profiteatur, altero etiam invito: Et hoc casu aliud Matrimonium ei licet contrahere, qui in sæculo remanet.

Ratio est, quia quandiu conjuges nondum facti sunt una caro, tacita hæc conditio matrimonio inest, nisi Deus ad meliora vocaverit; & tunc non homo, sed ipse Deus conjuges separat.

Verum postquam per copulam carnalem una caro vir & uxor effecti sunt, mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, ideoque non licet viro sine consensu mulieris,

aut

aut vicissim, vitam regularē profiteri atque; adeo Matrimonium consummatum vitæ regularis professione non dissolvitur.

Jtaqne si post Matrimonium consummatum unus e conjugibus vitam regularem professus sit, potest alter eum, qui conversus est revocare: sed si eum non repetat, officio Episcopi restituendus est.

Secundus casus, in quo Matrimonium dissolvitur jure Canonico, est si Matrimonium sit legitimum tantum & non ratum, puta si ex duobus conjugibus infidelibus, unus ad fidem convertatur, & alter nolit ei cohabitare: aut certe non aliter, quam cum contumelia Creatoris, id est sine blasphemia in Christum: vel si ipsum pertrahat ad peccatum mortale.

Ratum vero & consummatum Matrimonium Jure Canonico nulla ex causa, quoad vinculum, dirimi potest.

TI-

TITULUS XIV.
De Beneficiis.

Beneficium Ecclesiasticum est jus utendi, fruendi certis Ecclesiæ rebus, quod Clerico in perpetuum conceditur, propter officium Ecclesiasticum.

Dicitur *jus*, non quidem temporale, sed quasi spirituale; beneficia enim ad Dei cultum, & animarum salutem, atque intuitu Ecclesiastici ministerii instituta sunt.

Dicitur utendi, fruendi; nam verbum *uti* significat, rem adhibere ad necessitatem quotidianam; *frui* vero significat, omnes fructus ex re aliqua percipere, etiam ad compendium.

Porro Canones victum duntaxat, & vestitum, ex reditibus Ecclesiæ, Clericis Concedere videntur, ita ut, si quid superfit illud erogent pauperibus.

Verum aliud obtinet ex generali Ecclesiæ consuetudine, nimirum, ut Clerici, in Beneficiis suis, pro fru-

fructuariis habeantur. Quapropter poſsunt hodie Clerici de perceptis beneficiorum fructibus, teſtamento diſponere, vel eos ad hæredes ab inteſtato tranſmittere.

Dicitur, *quod Clerico;* quia ſoli Clerici munera Eccleſiaſtica obire poſsunt, proinde beneficia poſsidere.

Dicitur, *in perpetuum*, hoc eſt ad vitam Clerici, vel quandiu in Eccleſia, in qua intitulatus eſt Clericus perſeverabit; mortuo autem Clerico ad ejus heredes non tranſmittitur; quia ſanctuarium Dei Jure hereditario poſsideri non poteſt.

Tres ſunt præcipuæ Beneficiorum diviſiones.

Prima fit in ſæcularia & regularia.

Sæcularia ſunt, quæ ſæcularibus Clericis aſsignantur.

Regularia ſunt, quæ ſolent gubernari per regulares illius Ordinis cui adſcripta ſunt.

Secunda fit in compatibilia, & in incompatibilia. Com-

Compatibile beneficium eſt, cui nec cura animarum, nec actualis in Collegio reſidentia incumbit.

Jncopatibile eſt cui, vel cura animarum, vel actualis in Collegio reſidentia incumbit, unde duo ſimul teneri non poſsunt.

Tertia Beneficiorum diviſio eſt, in-dignitates, perſonatus, & officia.

Dignitas eſt adminiſtratio, cum Juriſdictione & honore conjuncta, ut Decanatus, & Archidiaconatus.

Perſonatus eſt adminiſtrario cum honore, ſed ſine juriſdictione: puta Cantoria; honor autem eſt prærogativa ſedis, ſuffragii, & proceſſionis.

Officium, eſt adminiſtratio ſine juriſdictione & honore, ut officium Sacriſtiæ.

Porro circa beneficia quædam generales regulæ tradendæ ſunt.

Prima eſt, ut beneficia Eccleſiaſtica non niſi dignis conferantur, id eſt: iis qui ſanctitate morum, necnon doctrina perfulgent, & idoneæ ſunt ætatis. Se-

Secunda eſt, ut admittenda non ſit cumulatio beneficiorum, ſi incompatibilia ſint.

Tertia eſt, ut ſicut beneficia cumulari, ita nec ſecari, & dividi debeant.

Quarta eſt, ut antequam vacent, neque promitti, neque conferri poſſint, ſcilicet ad removendam corvinam ſollicitudinem, & votum captandæ mortis alienæ & præterea ne viventi ſucceſsor detur.

TITULUS XV.

Quibus modis beneficia acquirantur.

Diximus libro primo, quibus modis majora Beneficia acquirantur, nunc dicendum eſt, quibus modis acquirantur alia beneficia; acquiruntur autem per collationem, aut inſtitutionem.

Collatio eſt libera beneficii vacantis, ab eo qui jus habet, Canonice facta conceſsio.

Collatio autem beneficiorum totius Diœceſis regulariter ad Epiſcopum

LIBER QUARTUS.

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus & Denuntiationibus.

CRIMINA solent coerceri, vel ad delationem & postulationem alterius, nimirum per accusationem, & denuntiationem, vel nemine deferente, & solo Judicis officio, puta per inquisitionem.

Itaque crimina tribus modis vindicantur, accusatione, inquisitione; & denuntiatione.

Accusatio est delicti delatio solemnis, apud competentem Judicem, vindictæ gratia, facta.

Dicitur *solemnis*, ad quod requiritur. 1. Ut adsit legitimus accusator, qui Judici accusationem in scriptis offerat, & præsens præsentem accuset.

Legitimus accusator intelligitur quicunque accusare specialiter prohibitus non est, ut inimici, conspiratores, excommunicati, infames, & quidam alii.

2. Ut fiat sub inscriptionis vinculo; est autem inscriptio libellus, quo continetur nomen Actoris & Rei, genus, locus, tempusque criminis admissi, & quo promittit accusator se perseveraturum in Judicio ad finem litis. & se subjicit pœnæ Talionis si calumniose accusasse probetur.

Jnquisitio est investigatio criminis a Judice ex officio instituta,

Hæc ideo recepta est ne deficiente accusatore crimina maneant impunita; Magistratus enim curare debent ut Respublica malis hominibus purgetur.

Fit igitur inquisitio ex Judicis officio, sed eam prœcedere debet fama publica, eaque ex plurium & gravium personarum relatione conflata, quapropter fama dicitur vicem accusatoris sustinere. De-

Denuntiatio est dilecti delatio quæ fit ad Magistratum, circa accusationis solemnia, emendationis causa, non vero vindictæ gratia.

Denuntiationi autem caritativa monitio præmittenda est, ne alias negotii potius faciendi studio, quam zelo caritatis impellente, procedere videatur.

Jtaque ne facilis sit & temeraria criminum objectio accusationem præcedere debet inscriptio, inquisitionem clamosa insinuatio, & denuntiationem caritativa monitio.

Criminum alia præsertim divinam Majestatem, alia præcipue homines lædu nt.

Prioris generis sunt, Simonia, Hæresis, Schisma, Apostasia, Blasphemia, & Sortilegium.

Posterioris generis sunt Homicidium, Adulterium, Stuprum, Raptus, Jncestus, Ealsum, Furtum, Rapina, Usura, &c.

TITULUS II.
De Simonia.

Nomen accepit crimen illud a Simone Mago, qui pecuniam obtulit Apoſtolis, ut ad eorum exemplum per manuum impoſitionem dandi Spiritus Sancti poteſtatem conſequeretur.

Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vendendique ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa.

Dicitur *Studioſa voluntas*, quia cum ſpiritualia in commercio non ſint, nulla earum venditio eſse poteſt; unde qui pro ſpiritualibus pretium dat, ea quidem emere ſtudet, revera tamen non emit.

Dicitur *emendi vendēdique* ubi notandum eſt, emptionis, venditionis nomine quodlibet negotium non gratuitum intelligi, ſeu quo munus pretiumve, aut ejus loco aliquid intervenit.

Dicitur *Spiritualia aut &c.* per ſpiritualia hic intelliguntur gratiæ

quæ

quæ proficifcuntur a Deo, ut dona Spiritus Sancti, Sacramenta; fpiritualibus vero annexa funt, vafa facra, beneficia, jus Patronatus, &c.

Dividitur fimonia in realē, conventionalem, & mixtam.

Realis eft quæ traditione completur ex utraque parte, vel faltem inchoatur.

Conventionalis eft pactio, de re temporali danda, pro fpirituali.

Mentalis eft quæ mente concipitur aliquo actu fubfecuto, ut cum aliquid temporale datur animo & affectu accipiendi aliquid fpirituale, vel contra; quæ quidem Simoniæ fpecies Deum folum ultorem habet.

Altera circumfertur Simoniæ divifio, nimirum ut altera juris divini efse dicatur, altera Ecclefiaftici, feu ut loquuntur, quædam dicuntur prohibita, quia funt Simoniaca, quædam vero Simoniaca dicuntur, quia prohibita funt.

Primi generis funt ea quæ fui natura, in veteri etiam teftamento ven-

vendi prohibita sunt, veluti Sacramenta, gratiæ, dona Spiritus Sancti.

Secundi generis sunt ea quæ quidem sui natura in venditionem cadunt, sed quæ citra peccatum non posſunt vendi, propter nimirum Constitutionem Ecclesiæ, quæ ea vendi prohibuit, ob reverentiam rerum spiritualium quibus annexa sunt, ut Præbendæ, jus-Patronatus, &c.

TITULUS III.

De Hæreticis, Schismaticis, & Apostatis.

Hæretici sunt, qui a sententia & tramite Catholicæ Religionis aberrantes, alienam a mente Ecclesiæ doctrinam profitentur, eamque pertinaciter defendunt. Hæreticum enim error non facit, sed in errore pertinacia.

Hæreticos autem propter contractam Baptismo obligationem merito coercet Ecclesia, non item Judæos, Sarracenos, & Paganos in

quos

quos nullum habet imperium.

Schiſmatici ſunt ii qui ſe Chriſti Vicario non ſubjicientes, ſeparantur ab unitate Eccleſiæ, quæ uno eodemque ſpiritu continetur.

Jlli ab Hæreticis maxime differunt, hæreſis enim eſt diverſa ſequentium ſecta, Schiſma vero eadem ſequentium ſeparatio; Hæretici de Deo falſa ſentiunt, Schiſmatici vinculum unitatis diſsolvunt, & quamuis eadem quæ credimus credant, iniquis tamen diſciſsionibus a fraterna charitate diſsiliunt.

Apoſtatæ ſunt ji qui fidem, aut regularem vitam, aut ordinem deſerunt. Apoſtatæ enim dicuntur 1, Qui ſuſceptam fidem deſerunt, & ad Judaicam, Paganam, aut Machometanam impietatem tranſeunt. 2. Qui monaſticum habitum abjiciunt. 3. Qui ſuſceptum ordinem deſerunt.

TITULUS IV.

De Homicidio.

Homicidium eſt hominis ab homi-

mine facta occisio, aliud voluntatium est, aliud necessarium, aliud casuale.

Voluntarium est illud, quod fit consulto, data opera, odii puta, aut vindictæ gratia.

Necessarium est, quod fit ex necessitate, vitæ adversus agressorem tuendæ causa.

Casuale est, quod a non cogitante per imprudentiam inconsulto commi ttitur.

Cæterum nemo ignorat homicidium gravissimum crimen esse, cum neque fortuito, neque necessitate ad id impellente, committitur.

TITULUS V.

De Adulterio, Stupro, Incestu, & Raptu.

Adulterium est alieni tori violatio; á stupro differt, quod adulterium cum nupta committatur, stuprum vero sit fornicatio quæ com-

committitur cum vidua, aut Virgine honeſte vivente.

Inceſtus eſt illegitima cum cognata, aut affini in gradu prohibito conjunctio.

Raptus eſt mulieris abductio.

TITULUS VI.

De Furto & Rapina.

Furtum eſt rei contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus; poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere.

Rapina eſt violentum & improbum furtum, ſeu violenta rei corporalis ablatio.

TITULUS VII.

De Uſuris.

Uſura Jure Canonico eſt quidquid ultra ſortem exigitur, vel eſt

ad ſortem debitam quælibet acceſſio.

Præcipua uſurarum diviſio fit in lucratorias, punitorias, & compenſatorias.

Lucratoriæ ſunt quæ pro ipſo pecuniæ uſu, & propter merum lucrum creditori præſtantur, quæ fœnoris nomine deſignari ſolent.

Punitoriæ ſunt pœnæ fruſtrationis & moræ, quæ debitori procraſtinanti & congruo tempore non ſolventi infliguntur.

Compenſatoriæ ſunt quæ præſtantur creditori ratione ejus quod intereſt; id autem quod intereſt definitur id quod abeſt alicui, quodque lucrari potuit, ſeu damnum emergens, & lucrum ceſsans.

Jllud vero quod intereſt neque merum lucrum eſt, ut fænus, neque mera pœna, ut uſura punitoria, ſed utilitatis amiſsæ reparatio; unde modum a quantitate ſortis non accipit, quippe quam ſuperare poteſt modo tamen duplum ejus non excedat.

Uſu-

Usuræ punitoriæ Jure Canonico non prohibentur, saltem si non petantur tanquam mera pœna; sed tanquam id quod interest.

Non prohibentur compensatoriæ; unde gener dotis promissæ fructus in dotem imputare non tenetur, sed eos recte compensat cum oneribus Matrimonii quæ ei sustinenda incumbunt.

Lucratoriæ omnino prohibentur, harum autem prohibendarum plures causæ fuerunt, mutui natura, charitatis defectus, & lucri cæcus furor.

TITULUS VIII.

De Pœnis.

Pœna proprie est delicti coercitio, vel estimatio.

Pœnarum, quibus utitur Ecclesia ad reprimendam malitiam perversorum, quædam sunt fori interioris, quædam vero sunt fori exterioris & Judiciarii.

Pœ-

Pœnæ fori interioris ſunt eæ, quas Sacerdos peccatori confitenti, inſpectis ſingulis rerum & perſonarum differentiis imponit.

Pœnæ fori exterioris & judiciarii ſunt, quæ cum ſtrepitu forenſi publice inferuntur ab iis, qui exteriorem & contentioſam juriſdictionem habent.

Altera pœnarum jure Canonico diviſio fit in ſpirituales; & temporales.

Spirituales ſunt quæ in animam decernuntur, ut Excommunicatio, Suſpenſio, Jnterdictum.

Temporales ſunt quæ corpus affligunt, vel Patrimonium, famamve & exiſtimationem minuunt,

Primi generis eſt incarceratio, & fuſtigatio, ita tamen ut ad effuſionem Sanguinis non procedat; Eccleſia enim abhorret a ſanguine.

Secundi generis eſt ſpoliatio beneficii & mulcta pecuniaria.

Tertii generis eſt infamiæ irrogatio.

TI-

TITULUS IX.

De Censuris Ecclesiasticis.

Pœnæ nomen latius patet, quam censuræ; omnis quippe censura pœna est, non contra.

Est autem censura pœna spiritualis & medicinalis spiritualium privationem, vel suspensionem continens.

Solus fidelis censuris obnoxius est; solus quoque vivus, licet mortuus illis irretitus declarari possit, eamque ob causam Ecclesiastica sepultura privari: denique solus peccato mortali gravatus & contumax censuris obnoxius est; quia censura est pœna medicinalis, unde absque prævia monitione inferri non debet.

Censuræ tres sunt species, Excommunicatio, Suspensio, & Jnterdictum.

Depositio autem & Degradatio cum non sint pœnæ medicinales, censurarum numero non adscibuntur, nisi improprie. Cen-

Censura quoque non est irregularitas, quia proprie obex est, impedimentum, seu inhabilitas non pœna; nec semper ex delicto nascitur.

TITULUS X.

De Excommunicatione.

Excommunicatio est censura Ecclesiastica qua fideles a Sacramentorum participatione, vel ab ipso Ecclesiæ corpore, & omni Fidelium communione excluduntur.

Duplex distinguitur, major & minor.

Major excommunicatio quæ & anathema dicitur est ea, quæ privat irretitum a participatione Sacramentorum, & a Fidelium communione.

Minor est quæ privat excommunicatum a participatione passiva Sacramentorum, non tamen a Fidelium communione: quin etiam ea inno-

nodatus retinet quæ jurisdictionis sunt, puta eligit, licet non possit eligi.

Alia excommunicationis divisio fit in eam, quæ dicitur a jure seu latæ sententiæ, & eam quæ dicitur a judice, seu ferendæ sententiæ.

A Jure seu Canone excommunicatio, seu latæ sententiæ, dicitur ea quæ irrogatur ipso facto, lege ipsa, seu ipso Canone factum no- tante, nullo interveniente Judicis officio, ut si quis violentas manus in Clericum injecerit.

Ab homine, seu ferendæ sententiæ excommunicatio dicitur ea quæ a Judice pronuntiatur.

A minori excommunicatione absolvit qui & a peccato; a majori qui ligare potest. nisi reservata sit summo Pontifici absolutio; urgente tamen mortis periculo etiam simplex Sacerdos potest a qualibet excommunicatione absolvere.

TITULUS XI.

De Suspensione.

Suspensio est censura Ecclesiastica quæ Clerico, Ordinis, Officii, vel Beneficii executionem inhibet.

Differt ab excommunicatione, primo quod cadat in Clericos tantum, excommunicatio vero etiam in Laicos cadit.

2. Quod a functionibus Ecclesiasticis tantum Clericum prohibeat, excommunicatio vero separat irretitum a Fidelium communione, aut saltem a participatione Sacramentorum.

Triplex circumfertur suspensionis divisio.

Prima fit in generalem & particularem.

Generalis est quæ in totum, seu ab omnibus functionibus Clericum prohibet, puta quando simpliciter & absolute concepta est.

Particularis est ea quæ prohibet a certarum functionum exercitio, relicto cœterarum usu.

Secunda suspensionis divisio est in eam quæ infligitur ad certum tempus, quo elapso ipso jure tollitur, & eam quæ infertur sine ulla temporis præfinitione, & tandiu durat donec absolutio impetrata fuerit.

Tertia est in eam quæ infertur a Jure, & eam quæ ab homiue infertur.

Ea autem quæ a Jure infertur est quæ ipso facto & Canonis potestate infertur. Non tantum summus Pontifex ab ea potest absolvere, verum etiam Episcopus.

Jlla vero quæ ab homine infertur est quæ sententia Judicis, præmissa Canonica monitione, adhibita scriptura & causa suspensionis expressa infertur. Ab hac absolvit qui inflixit, vel ejus Superior si appellatum sit.

Por-

Porro qui contra Suſpenſionem miniſtrat, fit irregularis.

TITULUS XII.

De Interdicto.

Interdictum eſt cenſura Eccleſiaſtica qua certis perſonis, certiſve locis, divinis Officiis, ſepultura, Sacramentorum adminiſtratione; aut perceptione interdicitur.

Triplex eſt interdictum, perſonale, locale, & mixtum.

Perſonale eſt quod prolatum eſt in perſonas; eaſque duntaxat ligat in quas prolatum eſt.

Locale eſt quod Prolatum eſt in loca ipſa.

Mixtum eſt quod in perſonas & loca ipſa prolatum eſt.

Præterea ſicut excommunicatio & ſuſpenſio, ita & interdictum, vel ipſo jure, vel ab homine infligitur.

Qui interdictum ſciens violat, irregularitatem incurrit, a qua ſolus

ſum

summus Pontifex eum liberare potest.

Observandum tamen est tempore interdicti Baptismum, Confirmationem, & morientibus Pœnitentiam; atque Eucharistiam ministrari posse.

Possunt quoque tempore interdicti divina Officia submissa voce, clausis januis, non pulsatis campanis celebrari, certis diebus exceptis in quibus hoc temperamentum adhiberi necesse non est.

TITULUS XIII.

De Jrregularitate.

Jrregularitas censura quidem non est, ut jam diximus, sed censuræ affinis, & ex ea sæpe nascitur.

Jrregularis dicitur qui est extra regulam, qui alienus est a regula, & quem Canon, seu regula non admittit: Clericus enim debet esse irreprehensibilis, unde in quibus ca-

si-

sibus sacri Canones aliquem notant, ut reprehensibilem, is certe est irregularis.

Est autem irregularitas Canonicum impedimentum, quo quis prohibetur ordinari, aut ministrare in susceptis Ordinibus, vel ad superiorem ascendere.

Dicitur Canonicum impedimentum, tum quia sacri Canones definierunt, qui possint ad ordines admitti vel non, tum quia nulla admittenda est irregularitas, nisi quæ in jure expressa sit.

Ex plurimis causis nascitur irregularitas, sed omnes ad duas possunt revocari, nempe ad defectum, & ad delictum.

Prioris generis sunt defectus natalium, vitium corporis, bigamia servitus, & obligatio ad ratiocinia.

Posterioris generis sunt homicidium, simonia, contumacia & crimina fere omnia, modo notoria sint non occulta.

Defectus natalium, quia licet ipsi cul-

culpa vacent, turpitudo tamen natalium dedecori Ecclesiæ esse potest.

Vitium corporis, non quodlibet ut olim, sed illud duntaxat quod Officii executionem impedit, vel quod sine scandalo Officio fungi non patitur.

Bigamia, quia is qui carnem suam divisit, aptus non est ad repræsentandam unitatem conjugii, quod Christus per Incarnationem cum Ecclesia contraxit.

Servitus, quoniam Ecclesia tollere noluit Jura Dominorum in servos.

Homicidium, nisi ita necessarium sit, ut qui insidiatorem occidit, non potuerit aliter periculum effugere; vel nisi homicidium casuale omnino sit, & absque culpa; adeo ut qui aliquem casu interemit non dederit operam rei illicitæ, & præterea congruam diligentiam adhibuerit.

Contumacia, nempe in Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

Tol-

Tollitur irregularitas per dispensationem summi Pontificis, si ex defectu natalium oriatur, tollitur per subsequens Matrimonium, item per professionem vitæ regularis.

TITULUS XIV.

De Depositione, seu *Degradatione.*

Depositio est pœna Canonica qua quis in totum, & in perpetuum a suo gradu ejicitur.

Differt hæc pœna a censuris Ecclesiasticis, quod illæ sint medicinales, & ad tempus tantum irrogentur; depositio vero sit in perpetuum, adeo ut depositus non possit esse quod antea fuerat, nisi gradum amissum de manu Episcopi recipiat.

Duplex distinguitur, scilicet verbalis & actualis.

Verbalis est ea, quæ fit Judicis sententia.

Actualis, quæ specialiter de gra-

da-

datio dicitur, est ea quæ fit solemni detractione vestium, & ornamentorum sui ordinis gradatim facta.

Fieri debet utraque a proprio Episcopo, certo Episcoporum numero asſistente, puta duodecim in judicio Episcopi, sex in causa Presbyteri, & tres in causa Diaconi.

Sed quia difficile esset tot simul Episcopos convenire, potest deponi Presbyter a solo Episcopo, vel ejus Vicario generali, asſistentibus loco Episcoporum Abbatibus; vel aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis.

Certe in minoribus Ordinibus numerus Episcoporum non requiritur.

FINIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0028811

2